

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE  
COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECUNDVM  
locos liber tertius, Ioanne Guinterio An-  
dernaco interprete.

*De aurium affectibus, & narium: item quot ex causis aures doleant.*



Vrium dolores generantur quidam ex frigiditate, quos in itinere à ventis frigidis afflati experiuntur: nonnulli ex lauacris & frigidis, & ex quibusdam medicamentosis aquis paratis, in quibus frequenter aliqui uoluptatibus indulgentes lauant, nonnulli auxiliij gratia. Fiunt autem auris dolores etiã ex inflammatione, interim solius meatus auditorij cutis, interim etiã in alio, cum neruus auditorius ad dispositionẽ inflammatoriã peruenit. Qua autem ratione inflammatio particulas ea obsessas tendens dolorem parit, eodem modo & spiritus flatulentus transitum non habens, dolorificus redditur. Sanies autem in ipso corpore generata, consimiliter ut humores mordaces qui extrinsecus incidunt, dolorem conciliant.

*De aurium doloribus ex frigore.*

20 Dolores igitur ex solo frigore nascentes calefaciẽtia citissime perfanãt. Ac nonnullos rusticos noui, qui ex magnis capis aliquã insculpentes, deinde oleo replentes, calefacientesq; in cinere mediocriter \*, auribus id infunderent: nonnullos autem qui in oleo non capã modo, sed alliũ subferuefaciẽtes, sic deinde infunderẽt. Ego autem euphorbij omnino paululũ oleo ueteri copioso miscens, ita utor, sicut & piperis exactissime laeuigati. Nam ex frigore cõtractos aurium dolores, quẽ sic calefaciunt strenuẽ adiuuant. Prodest ipsis etiam oleum amaracinum, si instilletur: item nardinũ præstantissimum, & quod Romanẽ dicitur foliatum & spicatum. Vtile etiam est cõmagenum. Quod si rutam quoq; oleo non astringenti, & præterea tenuiorum partium, quale est sabinum, incoquas, magnũ adferes præsidium. At cum aliquid ex aqua medicamentosa in meatu auditorio contineatur, continue oleum infundere conuenit, illuentes ipsum, & lana molli extergentes, ac rursus infundentes. Porro mitigat ipsos admodũ ouĩ candidum, quo etiam ad lippitudines utimur: item lac muliebre. Constat autem cuius, omne quodcunque applicatur, calidum esse mediocriter oportere. Cæterum iuuat ipsos abunde etiam adeps anferinus, necnon uulpinus auxiliatur.

*Vetus habet calido.*

*De aurium dolore ex inflammatione contracto.*

40 Quod si inflammatio quæpiam urgeat, optimũ erit aduersus eam medicamentum si instilletur, nardinũ unguen, cum pauxillulo eius quod basilicon dicitur. Appellant etiam hoc tetrapharmacũ. Iam cõmagenũ idoneũ est, & ex adipibus confectum medicamentum, cuius compositionẽ paulò post persequar. At ubi dolor urget, necessarium est uti etiam ijs quæ sensum stupefaciant: sicut et ijs qui ex colo & renibus: in summa, qui ex qualibet patiente particula uehemẽter dolent. Miscetur autem hoc lacti muliebri & ouĩ candido, quæ etiam per se frequẽter aurium inflammationibus congruunt. Iam et castoreo opium temperatur, oportetq; hoc longe ante mixtum uel æquali pondere, uel duplicato castoreo præparare: ad uehementissimos quidem dolores, æquali: ad minores, duplicato. Liquor esto ex musto sapa: quippe hæc multo magis dolores lenit, quàm uina dulcia. Statim igitur ab initio exacte læuicia commemorata medicamenta huic commisceantur: castoreum quidem prius accuratè læuigatũ, papaueris autem liquor in ipsa sapa solutus: atq; sic mixta tria pulchre in læuorem reddantur: deinde ubi usus postulat, resoluatur

*Narcoticorũ in uehementissimis doloribus usus. Opium ob dolorem miscetur.*

iterum sapa, usq; ad tantam spissitudinem, ut per auricularē clysterem in lucerna tepesfactum possint infundi. Ego uero uehementer dolentibus nullū medicamentum infundo, neq; extergo lana: experientia hoc edoctus, melius esse, ne prorsus quidem meatum auditorium attingere, quo tempore dolor infestat, sed specillo lana mollissima inuoluto: & foueo dolentes insigniter, et medicamentum inijcio sic preparatum in auriculari tepidum mediocriter, adeò, ut interrogantibus nobis laborantem, tepidum ne ei appareat, & num adhuc ipsum ferre possit calidius reditum, ed caliditatis induxerim, ut nequiquā molestaretur. Itaq; specillum in præparatum sic medicamentum intingens, et iuxta meatus initium moderatè imponens, defluere in altum permittit, ac deinde iterū atq; iterum, & subinde intingens idem hoc facito, nullum intermittens tempus. Constat autem liquidò ubi hoc fit, aliquid etiā prorsus foras effluxum iri, meatu auditorio toto repleto. Hoc igitur leniter excipito, quatenus licet aurē non attingens. Vbi iam probè foueris, meatu relicto qui medicamento repletus est, mollem extrinsecus lanam imposito: tum ori ipsius meatus, tum post hoc toti auri. At si opus sit rursus fouere, lana quæ extrinsecus obiecta, sensim ablata, rursus similiter foueto, cauēs quatenus fieri possit, ne aliud quoddam pondus auriculam attingat, atq; huic mentē adhibeto ceu maximo aurium curationis præcepto. Fetus autem tibi paretur, ut prædictum est, ex ijs quæ dolorem auferunt: quæ sunt, nardinum unguentum optimum, cui tetrapharmacii momentum adlit, ac post hoc comagenum, susinum, sumptuosaq; opulentarum mulierū unguenta, quæ ipsæ uocant spicata & foliata: uerum sunt crassiora quàm ut infundantur, quare ea soluere oportet ex nardino unguento: & si æstas fuerit, caloremq; æger in aure inflammata sentiat, ex rosaceo bono: huius penuria, ex amygdalino. Memineris autem bonum me semper dicere rosaceum, in quo plurimæ quidē rosæ maduerint. Oleum uero, in quo hæc maduerūt, ex ijs quæ omotribe dicitur, immaturum esto, si fieri possit citra salem præparatum, ita ut nihil aliud rosæ sit iniectum, quemadmodum qui spissamenta adiiciunt factitare solent, quo rosaceum diu grati odoris permaneat.

*De aurium doloribus ex spiritu flatulento, aut crassis uiscosisq; humoribus contractis.*

Quod si etiam spiritum flatulentum, aut humorem crassum aliquē uiscosum uel cui non sit exitus, inclusum esse coniecies, misceto quoque ex medicamentis referantibus aliquod. Nam artificialem coniecturam talium doloris causarum habebis, si consideres tum quæ præcesserunt, tum quæ adsunt. Vbi enim frigus præcesserit, flatulētus spiritus colligitur: ubi grauitas capitis, ex cibis pituitosis & mali succi, humores frigidi crassiq;. His quippe oborta frigiditate, dolores accidunt, illis quæ prius spirabant, nunc propter cutem densatam retentis. In his igitur nitri spuma, nitrumq; ipsum molle, aphronitrumq; huiusmodi, & oleum amygdalinum bona ratione auricularibus medicamentis miscentur. Huius generis est ueratrum album & nigrum, herba lanaria, amygdala amara, ex tribus aristolochijs quancunq; habueris, & iris illyrica. Quod si etiam cinamomum habeas, id quoque indes: huius penuria, casiam, tum quæ gizerros & mothodes dicitur: item carpesium, quod copiosissimum quidem est in Syda Pamphylia, atque idcirco uilissimo constat. Quintus autem cum cinamomum desideraret, hoc illius loco duplicatum indebat, sicut nonnulli casiam. Caterum aurium meatus aperiant tum quæ renum calculos conterunt, tum omne quod tenuiorum partium est citra rosionem, ne dolorem exacuant: inter quæ est cucumeris syluaticæ radix, bryonigari, dracunculi, centaurij, polij, & in totum omnium amarorum. Hæc & citra rosionem, & citra molestiā meatus expurgant, abstergunt, & infarcta incidunt. Propterea multa id genus exempla scribo, etsi in opere de simplicium medicamentorum facultate omnia exposuerim, quia uos quocunq; terræ loco remediorū copiā habere

habere uolo, expromptam ipsorum memoriam habentes. Alia enim in alijs locis & redundant & meliora sunt ijs quæ alibi nascuntur: quãdoquidem ex adipibus tum cõpositum medicamen tibi sufficet, tum ex simplicibus, quæ paulò ante dolorem lenire dixi. Mirari autem est medicos qui citra distinctionẽ ad aurium dolores medicamenta quẽdam tradiderunt: etenim ex frigore dolentes citissime calefacientibus curantur. Si uero ex acrimonia mordaci aut inflammatione pulsatili dolor oboriat, maxima comitatur noxa talibus medicamentis adhibitis. Moderatæ sanè inflammationes & non pulsatiles, etiam ex huiusmodi curantur medicamentis, quale est acetum cum rosaceo tepefactum, ambobus exactè permixtis.

10 Sic & glauciũ in cote medica detritum, ex aceto opitulatur ex inflammatione doloribus. Præstaret pastillum habere, qui glaucio præparatus est, medicamentum longe utilissimũ: qui fit ex glaucio diligenter ex aqua pluuiali detrito, deinde siccatõ conformatoq; . Si fragilius sit quàm figurari queat, gummi momentum ipsi miscbis: sufficit autem huius duodecimam aut quintamdecimã esse glaucij partem. Iam collyria ex glaucio eodem modo detrita ex aceto profunt, si auribus instillantur: nihiloq; minus his illa quæ ex croco constant. Hęc igitur sunt & doloris et inflammationis remedia. De alijs aut dispositionibus, quæ in auribus generant, ubi à me cõprobata usu percẽsuro, deinde ad ea, quæ maiores me tradiderũt, digrediar.

*De aurium ulceribus.*

10 Quæ recentia sunt, glaucium solum ex aceto pertritum, ut nuper dixi, perfanat: item collyria omnia ex eo facta, & quæ diacrocũ, et diarhodon à medicis uocantur: sicut & quod ad Nileum refertur: ad hæc diasmyrnon Damocratis. Purulentæ aut aures citra dolorem, quæ sanè mediocriter hoc patiuntur, ex ijsdem confanescunt: quæ ualidè, ex talibus, qualis est Andronius pastillus, & qui Musæ ascribitur, cũ sapa & modico aceti solutus: quorũ compositionis uarietas iterum explicabitur. Quod si his remedijs malum non cedat, cremẽto ferri ex aceto peracri plurimũ multis diebus laeuigato, in sole audacter utitor: etsi præter rationem esse uideatur, aurem acerrima medicamenta sustinere, quod paulò ante dixi, cum ne mollissima quidem quæ instillantur, citra molestiam admoueri sustineat, sed hæc quoq; ferire ipsam uideantur.

*De graui auditu & sonitu aurium intra seipsas.*

Restat igitur ut de graui auditu & sonitu aurium uerba faciam, quæ nihil commune habent cum doloribus & ulceribus: quibus de iterũ agam, ubi auriculares medicinas à celebribus medicis magnopere commẽdatas prius fuero persecutus, quæ ratione composuerunt. Auspicabor aut ab ea, quam Heras literis mandauit,

*Auricularia Heræ.*

Heras igitur hoc pacto scripsit: Auriculare ad omnem dolores & ulcus: hoc usus sum in quodam febricitante, & propter dolorem delipiente, & feliciter operatum est. Myrrhæ drach. una, thuris drachmæ tres (aliq; drachmæ septem) aphro- nitri drachmæ tres, croci drach. quatuor (aliq; drachma una) meconij drachmæ tres, galbani drach. duæ, amygdala amara ex corticata uiginti: excipiuntur aceto, ubi usus exigit, & dolor nõ adest, rosaceo subacta instillant: cum grauitas auditus infestat, aceto subacta. Heras igitur satis habuit hoc unum conscribere medicamentum, & dolorum quorumlibet, & ulcerum remedium. Ego uero dolores \*fotu ex adipibus, ut dixi, adhibito, et nardino unguento cum tetrpharmaco mitigari existimo, necnon easdem dispositiones adiuuari, sicut & ouĩ albumine, et lacte mulie- bri: mitigari autem solum, non iuari dispositiones ex papauere: quanquam secundũ accidens, nõ primariò, & dispositiones adiuuari aliquis dixerit. Vbi enim dolor cessauerit, & somnus sit obortus, natura dispositiones dolorem facientes concoquit. Ulcera uero aurium semper curauĩ glaucio ex aceto, sicut cum fluxio-

*Vetus legit, per anodyna fomenta.*

ne aut pure pastillis, à lenioribus incipiens, qualis est Polyidæ, post hunc Andronius, deinde qui uocatur Bithynus, cui meus perlimilis est, hoc est, ex charta combusta præparatus: mea autem opinione, etiam melior. Verum non semper omnium usus est, sed omnino unus sufficit, si quis eo uti nouerit: interim quidem ex sapa dissoluens, cum lenius uolet reddere medicamentum: rursus ex uino dulci, deinde ex aceto non acri, post ex acri, postremo ex acerrimo. Quare etiam ex tali mistura aliàs aliter facta, cum possis medicamenti uehementiam remittere, ualentissimum molitus solum poteris infundere. Mirari autem subit, ut dixi, plerisque medicos aurium doloris medicamenta per multa, citra distinctionem ordine scripsisse, quæ maxime diuersas inuicem uires obtinerent: utpote, exempli gratia (nam à uetustioribus auspicari præstat) Apollonius Herophilæus in scriptura medicamentorum paratu faciliū, initio sanè libri capitis doloris remedia scribens, omnium prima ex aestu contracti constituit, dehinc secunda ex frigore, hinc ex ebrietate & mera potionis doloris auxilia, quarta ex ictu aut casu, postrema, ut ipse prædixit, ad temporum dolores, & totius capitis cruciatus, qui citra manifestam causam gignuntur. At in aurium dolore nullam adiecit distinctionem, sed ubi simpliciter scripsisset, Ad aurium dolorem, deinde enumerat medicamenta, alia calefacientia, alia refrigerantia, alia humectantia, alia siccantia: & secundum uires & qualitates secundas, alia austera, alia acerba, alia amara, alia acria, alia acida, alia salsa: & præterea alia digerentia, alia stringentia, contrahentia & repellentia influxiones: alia eorum quæ in alto latent extrahentia, alia referantia, alia detergentia, alia sensum stupefacientia. Si igitur una dispositio dolorum causa est, unam quoque remediorum ipsius uirtutem esse bona ratione constat: si multæ, tot quoque esse oportet remedia numero, quot sunt causæ efficientes. Quum igitur Herophilus distinctiones sic commēdet, ut haud noui si quis alius, cumque ipse Apollonius capitis doloris medicamenta cum distinctionibus tradidisset, adhuc magis miror, quod in aurium dolore indistinctè medicamina protulerit. Quinetiā omisit quantum medicaminū genus indistinctum, quod ad finem contra capitis dolores citra manifestam causam ortos scripsit: quanquam eiusmodi quoque cruciatus primum sanè communibus causarum dolores patientium generibus subiicere oportet, continentis solutioni, aut intemperaturæ, ut ostendimus: deinde nimirum & ijs quæ ipsas efficiunt: quæ sanè omnia à me suis in locis diffinita sunt. In præsentia uero aurium dolorum medicaminum meminero tantum, cum hoc omnium postremum sit opus, ut subinde in medicatoria methodo à me comprehensum est. Nam curandi methodos illic conscribens, unum aut duo particularium exempla apposui, copiam medicamentorum, quæ ex multis compono, ad præsens opus differēs, ut præcedant quidem medendi methodum, de simplicium medicamentorum facultate undecim numero libri: hos sequantur medicatoriæ methodi quatuordecim, post quos istud opus conscriptum est, de compositione medicamentorum.

*Quæ Apollonius ad aurium dolorem conscripserit.*

Quod cum Apollonium errasse dico, qui non diffinierit, cui aurium dolori singula quæ tradidit medicamenta sint utilia, non in uirum ementiar, paucis demonstrabo exemplis. Cum enim ascripsisset, ut dixi, medicamenta quæ ad aurium dolorem infunduntur, posuissetque inter ea, Anserinum aut gallinaceum adipem sensim liquefacta instillato: rursus iterum scribit, Fel taurinum aut caprillum succo porri instillato. Itaque adeps quorum dixi animalium maxime lenit uniuersas, quæ dolores efficiunt, dispositiones, necnon uehementer nonnullis ipsorum opitulatur. Fel autem cum porrò dolores auget, tum qui ex inflammatione, tum qui ex acris & mordentibus humoribus oriuntur: ijs autem solum proderit, qui ex obstructione aut frigore proueniunt, uel secundum nudam intemperiam

periem frigiditate solidarum partium dolorifica excitata: uel quia in huiusmodi dispositionibus spiritus flatulentus & humores frigidi generantur: excerni autem propter ambientis corporis densationem, sine inflammatione ortam, prohibentur. Siquidem dolorum causis, à tam acris calidisq; medicamentis excretis, curatio pariter, & doloris lenitio comparatur. Itaq; adeps gallinaceus anserinusq; si quidem corpus inanitū reperias, & non amplius humorem influere qui inflammatoriam dispositionem efficit, duabus rationibus iuuabit, tum quod lenit, tum quod curat. Si autem influente etiamnum causa admoueatur, dispositionem quidem nihil iuuat, uerum doloris accidens lenit: quemadmodum etiam si ob humorum acrimoniam rosio excitetur. Caterum fel nunquam cum porri succo boni aliquid in praedictis dispositionibus, potest moliri, sicut neq; piper: etsi hoc noui medicum quendam fecisse, muliere aure dolente, dum calidis aquis naturalibus uteretur. Nam cum omnia Apollonij libris de medicamentis paratu facilibus credere consueuisset, essetq; usus casu subinde iam praesidio ex pipere, tunc quoq; sperauit aliquid aurium dolori profuturum: sed mulieri huic dolor adeo incruduit, ut propemodum strangularetur. Scribit itaque Apollonius in hunc modum: Piper in uino decoctum laeuigato, ac ubi crassitie moderatum effeceris, instillato. Scribit autem inter haec ipsa deinceps quae ex pipere fiunt & ista: Lycium & meconium paria pondere lacte muliebri subigens utitor. Post hoc aliud quoddam: Castorei & meconij parem modum, in testa praesertim Attica torrefactum; minus, Romana, laeuigataq; & passo subacta instillato. Quae igitur ex meconio omnia medicamenta constant, cum stuporem sensus concilient, ideo nos cogit aliquando ipsis in ijs, quae à nullo mitigatorio iuuantur, uti. Ex pipere medicamentum alterius generis est, sicut & quod ex adipe conflatur, ad aliud pertinet: quemadmodum & post haec scriptum ordine medicamentum hoc pacto: Galbanum fusino unguento subactum melli admisceto, rosaceoq; & lanae succidae, quam ubi circa specillum conuolueris, moueto, & tepidum instillato. Nam hoc citra molestiam digerit, efficax inflammationibus, quibus nihil adhuc influit: item probè faciet etiam in ijs qui ex frigore dolent. Forsan aliquis inquiret, quam ob causam dum non solum Apollonius, sed etiam alij quidam insignes uiri meconium & castoreum torrere iubeant, quomodo ipsorum facultatis uehementia imminuatur, omiserim ego superiori sermone adijcere, ubi meam curandi rationem aurium doloris prodidi. Respondendum igitur ei in hunc modum. Castoreum itaque ne utiquam torrendum censui: non enim ipsum, ceu quod sensum stupefaciat, meconio miscemus, sed è contrario prorsus, ceu refrigeratoriae facultatis uehementiam obtundat. Quod qui torrere iubent, in meconio quidem non simpliciter factitant: in castoreo autem prorsus absurde. Nam id per se uim habet dispositionum contumacium & scirrhosarum concoctricem. Abunde igitur est & meconij facultas, quae composita temporis spatio mitescit. Torridum namq; perdit efficaciam: mixtū uero castoreo, temporis spatio manet quidē adhuc etiamnum efficax abunde, uerum malignitas ipsius obtunditur. Quare etiam nonnulli offenduntur, ut multos dies caliginosum uideant, grauitatem capitis sentiant, & cibos non probè concoquant: & ob hanc ipsius malignitatem pleriq; medici ad torrefactionem perueniunt. Verum quia rursus inter torrendum efficacia ipsius aboletur (hoc enim subinde expertus sum) melius duxi, nō torrefactū miscere, postea autem uti. Haec itaq; obiter à me dicta sunt cognitu non inutilia. Quod ad institutū attinet, non mediocriter offenduntur, qui indistinctis medicamentorū scripturis fidem accomodant. Iam uero & alij multi eodē modo in multis & particulis & affectibus indistincta tradiderūt medicamina, ignorātes quantā ad artis constitutionem uim distinctio obtineat. In quibus nō miror confusionē et indistinctā

uerborum seriem: ut in Apollonio Herophilæo, uiro qui nouit Herophilum per petuò iubere, ut medicus sciat, quæ, qualis, & quanta sit morbi causa, & secundum quid potissimum ualeat, ut etiam curationem unicuiq; congruam moliat. Adhuc magis Archigenem demirari possis, qui indistinctè non pauca et ipse, tum in alijs curationibus, tum in aurium doloribus scribit. Nam unam in ipsis solam reliquit distinctionem, quæ et à moderatione & uehementia doloris petitur. Ascribam tibi totam ipsius sententiam.

*Medicamenta Archigenis ad aurium dolores.*

In priori cōmentario medicamentorum secundum genus, Archigenes hoc modo ad uerbum scripsit: In aurium dolore alia uicibus ratione præcedente, quam etiam in capitis dolore ordinauimus. In mediocribus sanè simplicia unguenta tepida instillato, nempe crocinum, aut irinum, aut rosaceum, aut nucum amararum expressionem, aut casia unguentum, aut nardum simplicem, aut sulinum, aut amygdalinum, aut rosarum, aut malicorij, aut papaueris succum cum oleo calido, aut porri semen læue, aut ueratrum album læue, cum rosaceo tepidum per oricularium clysterem instillato: aut meconij momentum cum lacte muliebri, aut meconij succum cum lacte similiter. Quum dolor inualefcit, uenter clystere ualido subducatur, & sanguis ex cubito detrahatur, aliaq; id genus fiant. Inde foueatur decoctio lauri, aut talis cuiusdã, aut sulphure uiuo aquæ insperfo: spongiæ aut ualidè exprimantur, apponanturq; auri: etenim humor facillime ipsas refrigerat. Quare etiam fomenta sicca utiliora ipsis sunt, quæ ex sale, aut milio, aut teneris hapsis, aut pinguibus panniculis parantur: aut rutam aqua in uas angustis oris coniecta decoquit, lanaq; ostium obstruito, admouetoq; auriculæ, quo uapor in eam per lanam penetret. Nonnulli in posca, aut exiguo oleo ruta decocta, liquorè deinde in uas infundunt, auresq; fouent. Post fotum, auri abstersæ infunde, uel balsamum cum rosaceo tepidum, aut quodam ex prædictis unguentis tepidum: aut quoddã aliud congruum ad aurium dolorem ex ijs quæ mox scribentur, obducito: aut papaueris caput tenue farinae mixtum in mulsaq; coctum inducito: aut ipsum papaueris caput tenue cum farina ordeacea in uino coctum: aut cornu bouillum in mulsâ coctum, aut lini semen. Aequè bene facit spongia ocularis melle coctio, & adhuc calido madens imposta, aut ceratum irini cui styrax sit admixtus. Summè facit ad aurium dolorem aloë mixta cum rosaceo, ad mellis spissitudinem instillata, aut chalcitis in uino subacta: aut perdicij succus tepidus seorsim, aut cum melle instillatus: aut nitrum modica aqua subactum oleo misceto, & tepidum instillato: aut aristolochie radicem cum oleo, aut ueratrum album læuigato cum rosaceo tepidum, per oricularium clysterem instillato. Bene facit opium in testa tostum, & castoreum similiter, pari pondere læuigata, ex rosaceo & passo, usq; dum mellis habeant spissitudinem: deinde post fomentum, lana specillo inuoluta intingitur, imponiturq;: aut feniculi succum cum prædictorum unguinum aliquo per initia instillato, aut cum capitibus papaueris decoquito, & serpentis exuuium instillato: aut cum quodam iam dictorum unguentorum, aut hispanicum garum calefaciens, per oricularium. Bene facit etiam ab ingrato odore dictum dysodes, acopum tepidum instillatum, aut meconium rosaceo solutum & momentum croci. Multo magis hiera aromatica cum quodam unguento. Valet item summè ueratrum album læuigatum, cum melle & rosaceo instillatum: ubi meatus obstruitur, purpura melius facit, & ueratum cum unguento irino. Prodest etiam cedrinus liquor, si cum nardino unguento instilletur. Seuerus autem asellos qui sub aquarijs agunt, læues ad exulceratas aures infundebat: nonnulli aquam frigidam in aurem dolentem infundunt, & statim quidem nimis quam dolent, paulò autem post dolor profusus cessat. Alij autè melius facientes, in alteram aurem non dolentem frigidam infundunt, quemadmodum

modum Lucius. Bene facit aloë & crocinum, si cum unguento amygdalino instil-  
 lentur, aut æs læue cum aceto & quodam unguento, Summè facit laser cum rosa-  
 ceo, si ulcus infestet. Mirificè adiuuat nimios auris dolores porri succus, urina ca-  
 prilla, & rosaceum cum momento myrrhæ infusa: aut sciuri adipem tepesactam  
 oriculari instillato, aut alumen scissile, & menthæ succum cum pulegio, aut piper  
 album & salem æquali pondere cum sapa sinistra manu ter, aut septies infundito,  
 aut cochleam putrem Aphricanā acu punctam rosaceo impleto, feruesactamq;  
 oriculari instillato calidiorem. Quod si ex ictu exterior auris pars doleat, thuris  
 micam, lacte superfuso bis, & tertio finito commadescere, ac ubi agitaueris, instil-  
 lato: statim enim cessat. Hæc sanè Archigenes indistinctè admodum scripsit. Po-  
 tuisset autem aliquis mentis compos, ea quæ dixi, in memoriam reuocans confide-  
 rare, qualenam ex prædictis medicamentis singulis aurium doloribus cõprehensis  
 conueniat, memor facultatis ipsorū, quam in cõmentarijs de simplici medicina di-  
 dicit. Ego uero ad auriculares medicinas ab Andromacho traditas iam digrediar.

*Auricularia Andromachi numero uigintiquatuor.*

Quatuor supra uiginti medicamenta auricularia Andromachus ordine dein-  
 ceptis conscripsit: in nõnullis quidè aliqua apposita distinctione, in quibusdā uero  
 nulla: atq; primū ipsorū ita habet. Auriculare ex scriptis Galli, quo utor. Myrrhæ  
 drachma una, salis drachmæ quatuor, thuris drachmæ tres, aphronitri drachmæ  
 tres, croci drachmæ quatuor, meconij drachmæ tres, amygdala amara uiginti, gal-  
 bani drach. duæ, aceti boni quantum sufficit. refertur scriptura ad Menemachum.  
 Andromachus multi usus hoc auriculare tradidit, multis simul dispositionibus,  
 quæ in auribus gignuntur, accommodatum. Dicitum etiam à me antea est, tales  
 medicinas neq; multum opitulari, neq; obesse, si perpetuò ipsis utamur. Quæ autè  
 ad unam dispositionē conueniunt, illam quidam optime curāt: uerum alias non-  
 nunquam præter quod nihil adiuuant, præterea etiam exacuunt. Alteram etiam  
 Andromachus compositionem post prædictam hanc tradidit: Auriculare Elij  
 Galli ad inflammationem & dolores intensos. Galbani drachmæ octo, cinamomi  
 drachmæ duæ, myrrhæ drachmæ octo, croci drachmæ octo, thuris drachmæ tres,  
 aphronitri drachmæ tres, lachrymæ papaueris drachmæ tres, aceti tantum ut mel-  
 lis habeat spissitudinem. Oportet autem prius locum nitro extergere, ne pingue-  
 dinem habeat, deinde sic medicamentū infunderet: sic rursus referantia, concoquen-  
 tia, laxantia & digerentia mixta sunt, quæ uehementibus mederi nequeunt dolo-  
 ribus, idcirco papaueris liquor mixtus est. Tertiū auriculare his uerbis exposuit.  
 Auriculare Laodiceï regis, quo frequenter utor. Castorei drachmæ duæ, lachry-  
 mæ papaueris. drachmæ quatuor, opopanacis drachmæ duæ, lycij afri drachma  
 una: passõ excipiuntur, & tepesacto utitor. Hoc sanè manifestò intensis conuenit  
 doloribus, non tamen alijs dispositionibus. Ego autem, ut dixi, in singulis disposi-  
 tionibus proprio utor medicamento, papaueris liquorē semper fugiens, ubi nul-  
 la magna necessitas nos cogit eo uti. Quartam tradit medicinam auricularem hoc  
 pacto. Aliud ad inflammationem, puris fluxum, & ueteres dispositiones. Fabarū  
 Aegyptiarum medullæ amaræ, aluminis scissi, piperis albi, aphronitri, croci, opij,  
 malicorij, myrrhæ, thuris, nardi, singulorum drachmæ duæ, castorei drachma una,  
 mellis & aceti quod satis est (alijs mellis drachmas sex.) In hac alia medicamenta di-  
 gerentia, siccantia & obstructiones aperientia, item quædam concoquētia, nempe  
 myrrha & thus indita sunt: alumen autem scissile astringens ualide medicamen-  
 tum, ut puris fluxum desiccet, permixtum est: opium uero doloris leniendī gratiā  
 oppositum ei est castoreū, sicut prius exposui. Verum in huiusmodi dispositioni-  
 bus, non solum ut oppositum, sed etiam ut concoquens ipsum et desiccans meritò  
 injicitur. Quintum Andromachus auriculare in hanc sententiam retulit.

» *Aliud Xenocratis*, quo subinde utor. Lycij afri drach. duæ, myrrhæ drachma una,  
 » thuris tantundem, aluminis scissilis tres oboli, aphronitri oboli duo: lauia cum ace-  
 » to reponuntur, utitor cum aceto. Hoc quoq; multi usus est, non tamen ubi dolor  
 » ualens urget, conuenit, ut quod neq; opium habeat, neq; castoreum, neq; adipem  
 » aliquem, qui dolorem leniat, neq; galbanum. Sextum medicamentum auriculare  
 » his uerbis scriptum est. *Aliud Prytanidis*, conuenit cum Harpale medicamento,  
 » Myrrhæ, nardi, croci, singulorū tres oboli, æris combusti oboli quinque, opij oboli  
 » duo, castorei oboli tres, aluminis scissi drachma una, & rotundi tantundem: cum  
 » passo, ubi fluor urget: ubi dolor, cum rosaceo; quando autem uermes generantur,  
 » ueratri nigri drach. duas misceto. Bene facit qui ad finem usum ipsius docuerit, 10  
 » quem nos utiq; dixissemus, si ipsum piguisset eundem ascribere. Septimum supe-  
 » riori persimile est, scriptum hoc modo. *Aliud Ogæi Symphonis*. Veratri nigri  
 » oboli duo, myrrhæ obolus unus semissis, opij oboli tres, æris combusti oboli qua-  
 » tuor, aluminis scissi oboli duo, castorei obolus unus, croci oboli quatuor: passo uti-  
 » tor. Octauum prius cōprehensis respondet. De nono ita ipse inquit. *Aliud quo*  
 » » utor ad uehemētes dolores & sonitus. Nitri drachma una, myrrhæ drachma una,  
 » » rosacei cyathus unus, aceti tantundem: lauigatis pariter utitor. Hoc medicamen-  
 » » tum non doloribus ex inflammatione obortis congruit, sed ex obstructione, spi-  
 » » ritu frigido & uaporofo, & humore similiter. Decimum aliud his uerbis conscri-  
 » » psit. Ad aures pus reddentes Harpocratonis. Cytinorū, malicorij, aristolochiæ, 20  
 » » chalcitidis, mylios cyprij, gallæ, squamæ æris, singule drachmæ: myrrhæ, thuris,  
 » » chalcanthi tostij, aluminis scissi, singulorum tres oboli; ex passo fingens pastillos,  
 » » utitor. Quod si uero etiam ipse non ascripsisset quid medicamentum polliceatur,  
 » » promptissimū nobis esset considerare, modò eorum quæ per initia prædixi, simus  
 » » memores, medicamentū esse siccatorium aurium, quæ puris fluxu laborant: quod  
 » » accidit defluxione quadam ex capite descendente, ob quam etiam ulcera inuetera  
 » » scenti accidere uidemus. Vndecimum auricularium hoc pacto scripsit. Auricula-  
 » » rium inter multa Symphonis. Croci drachma, myrrhæ drachma, castorei drach.  
 » » duæ, aluminis scissi drachmæ quatuor, thuris drachma una: cum passo mellis spissi  
 » » tudinem fingito, deinde sic resoluēs utitor. Atq; hoc mediocribus dispositionibus 30  
 » » medetur, sicut & quod post ipsum scriptum est. Subsequentes hanc medicinas au-  
 » » riculares ab Andromacho scriptas antea, citra meam expositionē ascribam, cum  
 » » eas iam possint dignoscere, qui prædictorū meminerint. At in quibus & ipse cum  
 » » distinctione scripturam adidit, nullum amplius nostra indiget expositione. Dein  
 » » ceps igitur omnes scribentur, ita ut non amplius alterius auriculariæ medicinæ ab  
 » » alio medico conscriptæ, à nobis fiat mentio. Hic enim omnium ipsarum uarie-  
 » » tas comprehenditur.

*Auricularium, ut Solon Dietetes.*

» Myrrhæ drachmæ quatuor, aluminis scissi drachmæ quatuor, castorei drach.  
 » » duæ, thuris drachma una, croci drachma una, opij drachma una: cretensi uino, aut 40  
 » » mulso spissitudo mellis fingitur. *Aliud auricularium Antipatri ad uehementes dolores*. Croci  
 » » uncia duæ (alij uncia una) myrrhæ uncia una, salis ammoniaci uncia una, alumi-  
 » » nis scissi, guttæ ammoniacæ, singulorum uncia semis, unguenti irini, aut syriaci se-  
 » » diminis uncia duæ: cum mulso aut cretensi uino mellis tenuis spissitudinem faci-  
 » » ens, utitor. *Auricularium aliud admodum bonum*. Popapanacis drachmæ duæ, lachrymæ  
 » » papaueris drachmæ quatuor, spumæ lycij drachmæ quatuor, castorei drachmæ  
 » » duæ, aluminis scissi oboli tres, croci tantundem, myrrhæ drachma una: usus est  
 » » ex lacte muliebri.

*Ad aures pus profundentes Spensusa autore.*

» Porci castrati fellis partes duæ, mellis Attici pars una: mixta simul in uase uitreo  
 » » supra



supra cinerem calidum usq; ad dimidias calefacito, atque sic utitor. Auricularium »  
 Harpocratis ad dispositiones & dolores. Spicæ nardi, myrrhæ, piperis, aphroni- »  
 tri, falis floris, singulorum drachmæ sex, croci drachmæ duodecim, nuces amaræ »  
 decem, lachrymæ papaueris drachmæ duodecim, uini ueteris quod sufficit; medica- »  
 mentum uasi stanneo infundito. »

*Ad grauem auditum & sonitum.*

Veratri albi drach. una, castorei obolus unus, aphronitri obolus unus semissis, »  
 utitor ex aceto tanquã præstantissimo. Aliud. Herba lanariæ drachma una, croci »  
 cilicij drachma una, castorei tantundem, ueratri albi drachmæ quatuor, nitri dra- »  
 10 chma una: pastillos fingens, cum usus postulat, dilutis uino utitor. »

*Ad aures purulentas.*

Alumen combustum & myrrham cum melle terito, ac ubi auriculam lana ex- »  
 terferis, medicamentum imponito. »

*Auricularium Chrysanthi Gratiani ad inflammationes & ulcera.*

Blattas sine pennis duodecim, uini ueteris & mellis uncias sex, malicorij unius »  
 corticē, porri succi sesquicyathum: in olla recenti coquito, donec malicoriū emol- »  
 lescat, deinde læuigato, adijciturq; unguenti syriaci unciam, picis liquidæ sesquun- »  
 20 ciam, capariū uncias quatuor: succo expresso, simulq; læuigato repone: cum usus »  
 postulat, tepefactum cum lana impone. »

*Auricularium ad inflammationes & puris fluxum.*

Nardi indicæ drachma una, aluminis scissi drachmæ duæ, opij drach. quatuor, »  
 malicorij drachmæ quatuor, croci drachmæ tres, myrrhæ drachmæ quatuor, thuris »  
 drachmæ quatuor, mellis drachmæ quatuor, aphronitri drachmæ quatuor, casto- »  
 rei drachmæ duæ, amygdalarum amararum drachmæ octo, piperis albi grana tri- »  
 30 ginta, aceti cyathus, urinæ apri tantundem, fabarum Aegyptiarum uiridium me- »  
 dulle drachmæ quatuor: læuigata pariter in uas stanneum reponito: cum usus po- »  
 stulat, cum rosaceo instillato, & floccum, ubi prius foueris, imponito. »

*Auricularium ad desperata, autore Zoilio oculo medico.*

Alterci feminis oboli tres, aluminis scissi obolus dimidius, myrrhæ drachma »  
 30 una, castorei oboli tres, meconij oboli tres, gallæ tantundem, croci oboli quatuor, »  
 cinamomi oboli quatuor, thuris oboli duo, aphronitri oboli duo, sandarachæ obo- »  
 li duo, opij recentis cochlearia tria, urinæ apri masculi cochlearia tria, conchylj »  
 sanguinis oboli tres, mandragoræ succi obolus unus, mellis Attici quod sufficit: »  
 conchula aurem obturato. »

*Auricularium aliud ad inflammationem & puris fluorem mirabile.*

Rutæ oboli tres, myrrhæ tantundem, alterci succi drachma una, opij drachma »  
 una, croci drachma una, cum lacte muliebri utitor, tepidum instillans. »

*Auricularium admodum bonum, probatum, ex scriptis Apollonij.*

Myrrhæ drachmæ duæ, thuris drachmæ duæ, nucum amararum drach. una, »  
 40 aphronitri drachmæ duæ, aluminis scissi drachma una, malicorij drachma una, spi- »  
 cæ nardi drachmæ duæ, aloës drachmæ tres, nulli ueteris cyathi tres: sicca læuigata »  
 mulso miscent, & cocta uase stanneo reponunt: cum usus postulat, tepido utitor. »

*Medicinæ auriculares quas Aselepiades in libro primo ex- »  
 teriorum conscripsit.*

Auricularis facultas ad recentes dolores magnos, qua usus est Niceratus: est »  
 autem hoc remedium præstantissimum. Afelli domestici ( animal autem est mul- »  
 50 tipes, quod in uasis aquarijs, & stercoribus nascitur: cum digitis attollitur, in or- »  
 bem conuoluitur ) tres aut quatuor oleo inferuescant, deinde oleum expressum »  
 instillato. Facit & cucurbitæ succus cū rosaceo, aut nardino mixtus tepefactusq;: »  
 item perdicij herbæ succus cū oleo incoctus, & centaurij succus mulsa dissolutus, »

- » alterciq; succus rosaceo temperatus. Prodest & lachrymæ papaueris momentum  
 » lacte muliebri dissolutum. Iam sanies quæ ex carne bubula, cum torretur, defluit,  
 » Has oportet crudas recentes prunis superponere, & cum crudæ adhuc sunt, expri  
 » mere, humore qui exprimitur calido aures opplere. Valet etiam nucum putrium  
 » medulle liquor aceto dissolutus & rosaceo; idem facit & libyca cochlea in propria  
 » testa restincta cum oleo nardino, aut rosaceo. Prodest etiam suis quæ non peperit,  
 » fel æquali pondere Attico melle mixtum. *Aliud.* Lachrymæ papaueris, castorei,  
 » singulorū oboli duo, passo dissoluti & modico rosaceo adiecto tepidi infundunt.

» *Aliud.* Guttæ papaueris, & stillæ peucedani æqualē mensurā, dissoluens instillato,

*Ad inflammationes cum ulcere, Charixenis.*

- » Myrrhæ, opij, castorei, singulorum paria pondera, passo dissoluta tepida infun  
 » dito. *Aliud.* Alterci succi, liquoris papaueris, myrrhæ, castorei, singulorum dra  
 » chmæ quatuor, piperis drachma una, passi quod satis est. Ad aridas & madoris ex  
 » pertes exulcerationes; est et pessus bonus. Hyssopi drachmæ quatuor, medullæ cer  
 » uinæ drachmæ quatuor, butyri drachmæ quatuor, adipis anserini drachmæ qua  
 » tuor, ceræ tyrrhenicæ drachmæ quatuor, resinæ terebinthinæ drachma una, olei  
 » ricinini, olei amygdalini, olei cyprini, singulorum cyathi duo, pisselæi cyathus  
 » unus; composito & utitor, dissoluens quantum sufficit oleo nardino, misce ut mel  
 » lis habeat spissitudinem. *Aliud* uehementer bonum etiam ad neruorum disposi  
 » tiones. Olei cyprini, irini, rosacei, amygdalini, olei ueteris, singulorum cyathi duo,  
 » pisselæi cyathus unus, ceræ unciæ duæ, resinæ terebinthinæ unciæ, adipis anserini  
 » unciæ una; composito & utitor.

*Aliud ad profundos abscessus Antonij Musæ.*

- » Croci drachmæ duæ, myrrhæ drachmæ duæ, bdellij drachmæ quatuor, nucum  
 » amararum drachmæ octo, marrubij hemine dimidium, passi tantundem: liquida  
 » coquito, & reliquis ubi adieceris excipiens utitor, passo dissoluens quantum suffi  
 » cit. \* Croci, myrrhæ, castorei, centaurei, singulorum drachmæ duæ, aphronitri dra  
 » chma una, amygdalarum amararum purgatarum drachmæ octo, parietariæ succi  
 » sesquiseptarius, passi tantundem; conficito, ac utitor uti prædictum est.

*Ad inflammationes cum fluxione, quo usus est Cleo.*

- » Myrrhæ, aloës, thuris, guttæ papaueris, singulorum drachmæ duæ, mysios cru  
 » di drachma una; aceto excipito, in usu passo dissoluens infundito.

*Arij Tharsei.*

- » Myrrhæ drachmæ quatuor, thuris tantundem, mysios crudi drachmæ duæ, ly  
 » cij indici drachmæ quatuor; aceto excipiuntur. Vfus ostensus est. Quod si multa flu  
 » xio oboriatur, utendum est subscriptis confecturis. Croci, thuris, myrrhæ, opij, ly  
 » gi seminis, singulorū drachma una, lycij indici, floris mali granati, rosarum floris,  
 » singulorum drachmæ duæ, aceti hemina: lygi semen incoquito cytinis, rosarum  
 » florem in acetum coniectum ubi dissolueris, reliquis adijcito, & excipiens reponi  
 » to; cum usus exigit, passo dissoluta instillato.

*Ad aures purulentas cum dolore, quo usus est Cimo.*

- » Castorei drachmæ duæ, aluminis scilli, croci, myrrhæ, thuris, singulæ drachmæ,  
 » passo excipito, aut myrteo, & utitor, in recētibus ex mulso, in inueteratis ex aceto.

*Claudij Damonici ad aures purulentas & diuturnas dispositiones.*

- » Croci drachmæ tres, myrrhæ drachma una, nuces amaræ purgatæ numero tri  
 » ginta, nitri spumæ, nardi syriacæ, aluminis scilli, singulorum drachma una, thuris  
 » oboli tres, aceto quam acerrimo excipiuntur, acetoq; dissoluuntur.

*Ad grauem odorem aurium, & ulcera de pascencia, medicina quæ Hispanis tribuitur.*

- » Gari nigri, quod Romanis dicitur ocitorum, sextarius unus, aceti scillitici tan  
 » tundem, mellis Attici sesquiseptarius; coquito usq; ad consistentiam, & excipito  
 » uitreo

*videtur deesse  
 Aliud.*

vitreo vase ac utitor. In alijs scripturis ita habet. Cucurbitæ succi sextarius unus: componito; facit ad grauem odorem cum inflammatione.

» Aliquid de  
» esse videtur  
» in græco.

*Charixenis ad corrupta, aut grauem odorem.*

Aluminis milesij libra una, chalcanti libræ octo, aloës drachmę octo, croco magmatis drachmę octo, myrrhæ drachmę octo, uini myrtei sextarij tres; alumen & uinum incoquito; ubi spissitudo facta fuerit, reliqua adijcito; aceto dissolutis exceptisq; utitor.

*Ad carnum excrecentias, quo usus est Heraclides Tarentinus.*

Aeruginis rasæ drachmę octo, squamę aris tantundem (in alio exemplari habetur, drachmę quatuor) mellis hemine dimidium; aridat rita et melle excepta coquito, donec medicamentum rubescat, & exceptis utitor. \* aeruginis drachmę quatuor, chalcanti drachmę quatuor, myrrhę drachmę quatuor, marrubij succi cyathi tres, mellis quod sufficit; præparato in modum prædictum.

\* Vetus  
Aliud.

*Chalcidonia, ad dispositiones inueteratas.*

Veratri albi, croci, myrrhę, castorei, thuris, opij, singulorum drachmę quatuor, chalcanti drachmę sedecim, piperis drachmę duæ; myrrhã, opium, thus, castoreũ aceto macerabis, in quo decoctum sit malicoriũ, usq; dum dissoluatur; deinde confusa ueratrum, crocum piper, chalcanthum inijcito; hinc omnia simul diligenter terito, ac ubi bene habuerint, nulli quod satis est addito, ut mellis dissoluti habeant spissitudinem: cum necessitas postulat, tepefaciens instillato. Hoc medicamento utens subinde uoti compos euasi, & temporis processu adieci scripturæ omphacij drachmam.

*Aegyptia ad easdem dispositiones, etsi auribus fuerint congenitæ.*

Amygdalarum amararũ purgatarum drachmę quatuor, fabarum Aegyptiarum medullæ, piperis albi, croci, myrrhæ, opij, singulorũ drachmę duæ, thuris drachmę duæ, omphacij drachmę quatuor, aluminis scissi drachmę quatuor, castorei drachmę duæ, chalcanti drachmę quatuor, aphronitri drachmę duæ; excipiũtur aceto, in quo malicorium sit discoctum, ut sordium spissitudinem habeant; in usu medicamenti quod satis est, unguento nardino dissolvens infundito.

*Ad sanguinis fluorem ex auribus, autore Heraclide Tarentino, ne in grumum coalescat.*

Marrubij succum coctum acetoq; mixtum instillato; aut mali granati in aceto cocti succum expressum infundito; aut polygoni succum in exiguo aceto; aut acaciae, aut amurcam, aut lycium cum aceto. Aliud Botryis, quod sanguinis fluorem coercet. Rubi succum, & gallarũ in aceto coctarum succũ unã mixtum instillato.

*Medicamenta Archigenis post prædicta.*

Quæ sanè medicamenta Archigenes ad aurium dolorem scripsit, prius comprehensa sunt; nunc autem quę ad alias quoq; dispositiones prodidit, apponam. Ad aures humentes. Polygoni succum, cum æquali rosarum succo infundito; aut crocum & myrrhã, cum passo rosaceo tepefacta infundito. In purulentis facit & polygonum cum rosaceo infusum. Conducit summè uinum instillatũ, cui conyzæ tenuis folia sint incocta. Nonnulli & thus admiscent uino, aut laser rosaceo solutum, instillato; aut marrubij syluestris semen cum aceto & rosaceo similiter, & croci æqualem modum, cum uino austero; aut croci & myrrhæ, singulorum drachmas duas, nuces tenues excorticatas leues misceto, cum mellis hemina dimidia, marrubij succi hemina dimidio; arida probè læuigata, & liquidis subacta simul conterens instillato.

*De auribus exulceratis.*

In auribus exulceratis & cruentis dolentibusq; galbanum, opium, cum passo et rosaceo ad mellis spissitudinem instillato; aut loco galbani liquorem peucedani misceto, & magis proderit; aut spodium tostum læue, cum rosaceo infunde; aut

lycium cum lacte muliebri, uehementer efficax est, et mel per se tepidum infusum, præsertim in quibus etiam grauis odor est. Nonnulli uero asellos in uasis aquarijs agentes, cum quodam unguento instillant, et summè auxiliantur: aut domesticas blattas cum rosaceo instillant. Bene facit ad omnem auris dispositionem uulpis adeps salsa, si liquefiat & instilletur: aut spondylii interior pars cum melle & rosaceo infunditur: aut ubi aurem elueris & contrectaueris, porri aut marrubij succum cum melle infundito: aut cinerem lixiuum cum melle liquefactum, aut thus cum aceto in mali punici cortice seruefactum instillato: aut gallam lauem linteolo illigatam, uino incoquito, & ex hoc instillato: statim enim dolores abolebit.

*De aurium uermibus.*

In quibus uermes facessunt negocium, ueratrum album cum melle dimittito, aut siccum inspirato: aut succum rubi infundito. Si uero squamatum auris os fuerit, diuisa posteriore ipsius parte, radito: deinde ustum, ad cicatricem citra molestiam ducito.

*De aurium sonitu.*

Nonnulli sanè sonitus flatuosi spiritus soboles existunt: quidam uero propter auditorij sensus acrimoniam oriuntur, sicut in oculis suffusorum imagines ob uapores ab ore uentriculi exhalantes. Verum exactam nullius dispositionis notam per initia habere licet: non tamen inartificiose, tum ipsarum dignotionem, tum curationem auspicari conuenit: quippe dictum est ostensumque sæpius, non unum quoddam genus esse spei coniecturalis: nam esse artificialem quandam coniecturam ex causis primitiuis, quæ uocantur procatartica, quando quis ipsarum uires nouit, dum alia quidem dispositio ob frigiditatem, alia uero ob æstum nascatur: quemadmodum etiam ictu præcedente, aut morbo tali aut tali: uelut etiam cruditate, aut copioso uini potu, aut uomitu uiolento multoque. Interim etiam ex medicamentorum auriculariũ usu generantur sonitus quidam. Iam quod sonitus paulatim, aut una uice generatus sit, id ad dispositionem inueniendam conducit. Præterea quod intermittat, aut quod accidentia perseuerent continuè. Verum exacta dignotio temporis spatium fit, post medicamentorum, quæ artificiose accommodaueris, usum. Si igitur in febribus sonitus audiantur, nihil tentandũ est: quippe cessant protinus magna ex parte: sin autè suspicatus aliquis ex spiritu flatulento, qui transitum non habeat, prouenisse, medicamentis quæ incidunt, attenuant & discutiant adhibitis, nihil proficiat, quamuis etiam pituitã per os elicere tentauerit, habueritque totius capitis rationem, is magnam occasionem habebit referendi sonitum ad sensus acrimoniam, præsertim si æger acuti auditus appareat. Cum itaque ego in eiusmodi quendam incidissem, qui usus medicamentis enumeratis nihil iuuaretur, admiscui aliquid sensui stupefaciendo idoneum, cuiusmodi est mandragoræ succus, papaueris liquor: quo hominem symptomate liberaui. Quæ à priori bus medicis auriculares medicinae ad huiusmodi symptomata sunt conscriptæ, digerendi & incidendi facultatem obtinent. Prius igitur in auricularium medicinarum catalogo, quas prodidit Andromachus, erant nonnullæ quæ ab eo ad sonitus conuenire dicerentur, ex huiusmodi materia compositæ: nunc autem adiciam quæ Archigenes tradidit.

*Medicinae Archigenis ad sonitus.*

» In repentino sonitu acetum cum rosaceo infundito: aut cuminum oleumque ad  
 » mellis spissitudinem redigito: aut cucumeris syluatici radice succum, aut ipsam ra-  
 » dicem oleo coquito: quod si diutius perseuerent, omnibus amaris, acris, tenui-  
 » bus, & digerentibus, quæ inscribuntur ad eos qui ex crassitie humorum indole-  
 » scunt, singula decoquito, cum aceto & melle addito: aut reclinato ægroto, & ni-  
 » tro crudo lauique auri insperfo, acetum acre tepidum infundito: deinde ubi feruere  
 desiderie

Vetus habet  
lycio.

desierit, lana absterse auri nucum amararum succum infundito, lanaq; obstruito: aut nitrum & myrrham bene unita, cum rosaceo & aceto atramentoq; scriptorio crasso, instillato: aut pinna intingens bis die imposito: aut castoreo & nardino aequalibus cum aceto & rosaceo utitor: aut aceto & nitro ac melle colluito. In quibus autem sonitus propter sensus copiam innascitur, castoreum & cicutaē semen laeuigata, ex aceto instillato. Vbi uero ex morbo sonitus prouenerit, auribus absinthij decocto fotis, acetum & rosaceum infundito, aut raphani succum cum rosaceo, aut aloē optimam ex mulso solutam: quod si perseveret, ueratro nigro cocto ex aceto, utitor. Huiusmodi quidem Archigenes ad aurium sonitum tradidit.

10 Apollonius autē in primo de medicamentis paratu facilibus, subscripta prodidit.

*Apollonij medicamenta ad sonitus, tinnitus, sibilos & flatus.*

Acetum acre tepidum instillato: mel Atticum calidum indito: laurinum oleum similiter. Porri succum cum muliebri lacte, aut rosaceo infundito: cucumeris syluatici semen exuccatum, aut foliorum succum ex linteolo instillato. Cucurbitae syluestris medullam oleo subactam infundito: cuminum laeue, & medullam uitulinam instillato. Cucumeris syluestris medullam oleo subactam infundito: glandem unguentariam tritam, & adipem anserinum, resinamq; pari pondere mixtam instillato: lini semen tritum, subactum unguento arabico instillato: misy laeuigatum & solutum unguento rosaceo usurpato: rutam & cuminum aequali pondere trita, subactaque, & melli mixta infundito: hyssopum tritum & cedrino solutum oleo instillato: amygdalarum amararum oleum melli temperatum. Quod si efficaciori uti uoles, hoc priori coniungito. Viticis & ascalabotae caput tritum aequali pondere, & mixta oleo instillatur: nitro & resina adipēque anserina aequalibus, cum oleo mixtis dissolutisq; utitor: capam, allium, et adipem anserinum pari pondere, trita percolataq; infundito: ac ubi prius aqua calente elueris, nitrum laeue inspirato.

*Ad aures ulceratas & saniem profundentes, eiusdem.*

Primum sanē collutiones scripsit Apollonius: deinde medicamenta quae infunduntur: & tertio, quae exiccant: & quarto, quae inspirantur: hisce uerbis ea interpretans. Aqua calida frequentius eluito. Lente decocta similiter. Hydromelite eodem modo eluito. \* Hederæ diluto aut decocto cum uino utitor. Malicorij diluto aut decocto cum uino similiter. Gallæ solidæ decocto cum uino: myrto in uino decocta eluito. Alumine exiguo, cum uino trito utitor. Stoebæ fructu in uino decocto eluito: urinam uinumq; mixta & calefacta infundito: picis serum infundito: oleæ folia expressa exuccataq; & melli mixta simul coquito, atque hoc medicamento utitor.

*\* Quae infunduntur.*

Meconium passo solutum instillato. Capæ succum cum melle instillato. Rute syluestris succum cum uino et rosaceo oleo, in mali punici cortice calefactum, instillato. \* Cardamomū tritum cum melle indito. Peucedani lachryma rosaceo soluta utitor. Aloē & crocomagma subacta instillato. Absinthio laui cum melle utitor. Myrrham, resinam, & adipem anserinum, cum oleo trita infundito. Pingue quod obnascitur in caseo, qui in fictilibus copositus est, tepesfactum instillato. Diphryges laeuigatum cum melle instillato. Alumen scissile in laeuorem tritum cum passo acetoq; coquito, donec mellis habeat spissitudinem, & utitor.

*Medicamenta quae desiccant.*

Cedrinum liquorem cum melle mixtum infundito: piperis albi grana tria unguento aegyptio subacta cochula exigua leuigata instillato. Croci & cerussę paria pondera, subactaq; rosaceo infundito. Melanthiū & sulphur aequali pondere trita & rosaceo subacta, mixtaq; unguento irino & adipe caprillo pari pondere, iterūq;

\* Vetus adiectum habet, aut decocto fenugraeci similiter.

\* Decet in Græco.

\* Hic uetus alia quaedam habet.

» trita, adhibeto; myrrham & sulphur æquali pondere trita mixtaq; oleo instillato.  
 » Myrrham & mali punici dulcis corticem æquali modo trita, & melle subacta in-  
 » fundito. Bestijs quæ ab arboribus capiuntur, tanquam uermibus rubris, tritis &  
 » oleo subactis utitor. Bestia, quæ terræ intestinum uocatur, cocta & percolata indi-  
 » tur. Resina, mel, & oleum pari pondere mixta & dissoluta instillatur. Malum pu-  
 » nicum dulce sumito, & præciso umbilico grana eximito, deinde in hunc infuso  
 » passli cyatho, & præterea chalcanti læuis obolis duobus superinspersis incoqui-  
 » to, usq; dum mediocrem crassitiem habuerint, ac tepidis utitor.

*Quæ inspirantur.*

» Gallam læuam inspirato, piper rotundum cum uino tritum inspergito: eodem  
 » utendum est & infusione magis soluta. Omphacium & gallam torrefacta æqua-  
 » li pondere lauia inspirato. Utendum est etiam obambulationibus, uentris inan-  
 » tione, cibi subtractione, & aurium purgatione diligenti.

*Ad aures præhumidas.*

» Ad aures præhumidas, sic enim ipse nominat, medicamenta utilia Apollonius,  
 » quæ sequuntur, citat. Misy combustum in linteolo, & cum eo leuigatū inspirato,  
 » Galla cremata tritaq; similiter utitor. Cinerem leuem similiter aluminis super te-  
 » stam torrefacti lauigatiq; oleo affuso imposito: eodem curationis modo utitor.

*Ad grauem auditum.*

» Ad surdos, siue grauiter audientes quis nominare uoluerit, qui quidem paruas  
 » uoces nequaquam, magnas uix audiunt, symptoma obseruandum est: paulatim  
 » enim augescens, temporis spatium absolutam surditatem efficit. Purgatio igitur cor-  
 » poris tentanda est ex hiera, & catapotijs diacolocynthidos: pituita per os educen-  
 » da, caput siccandum, omniq; modo corroborandum, ut subinde ostensum est: ui-  
 » ctus ratio tenuis utilis est: in ipsam uero aurem inijciuntur medicamenta, quæ di-  
 » uidunt, inciduntq; uiscosos & crassos humores, quorum materia talis est.

*Quæ Apollonius medicamenta tradiderit in primo de paratu facilibus remedijs, ad grauem  
 auditum, ad uerbum sic habent.*

» Ad grauem auditū repentinum, & eum qui ex capitis doloribus contrahitur,  
 » Absinthiū cum aqua coctum, per fistulam foueto, quomodo solent per fistulā fa-  
 » citare. \* Aliud. Baccis lauri, aut folijs in aquis coctis similiter utitor. \* Origano si-  
 » militer, item hysopo, sic marina et aceto: iisdem his utendū est etiā in ollula coctis,  
 » & fotu, qui per ollulam adhiberi indicatus est. \* Aceto albo & aqua æqualibus,  
 » & nitro læui simul feruefactis, eluito ad dies complures, & deinde aqua sola ca-  
 » lida eluito: atque sic ea infundito, quæ ad hæc inscripta sunt. porri succum & iri-  
 » num \* unguentum mixtum instillato: fel bubulum & caprillum, \* unguentumq;  
 » rosaceum, mixta indito. Caparum succo & resina oleo subactis, ex æquo uti-  
 » tor. Nucum oleo & resina mixtis, ex æquo utitor. Alumen aceto solutum in-  
 » stillato. Myrrham & alumen æquali portione lauigata & aceto subacta infun-  
 » dito. Adipem anserinum, & fel bouis, laurinumq; oleum æquali pondere mi-  
 » xta instillato. Hedera syluestris semen exuccatum, linteolo instillato. Vera-  
 » trum nigrum ex aceto tritum & melle probe cocto exceptum, in collyria glar-  
 » dium exiguarum instar cogito, impositoque meatui, & dies quinque sinito. Ser-  
 » pentis exuium tritum, cum aceto instillato: eodem etiam cum felle bubulo, aut  
 » caprillo, aut testudine marina, aut callionymo soluto, utitor. Nassurtij quod satis  
 » est, & nitri exiguum, ficum carne sine nucleis exceptum, in collyrium redigito,  
 » quod auditorio meatui congruit, impositoque ei: tertio die tollito. Hoc fordes  
 » abunde elicit, & statim leuat. Cæterum corporis reliqui cura habenda est, obam-  
 » bulatione quatenus uires postulant, & capitis frictione, aliarumq; partium. Præ-  
 » terea medicamentis quæ pituitā per os educit, & collutionibus quæ eandē possunt  
 » excernere

\* Desideratur in  
 Greco. \* Aliud.

\* Aliud.

\* Vetus ha-  
 bet oleum.

\* Oleum.

excernere: cibisq; utendum copia moderatis, & genere solutu excretuq; facilibus. »  
 Auxiliatur abunde hac dispositione infestatis etiam spongia minutim detrita, ac »  
 meatui auditorio indita: eadem hæc utilis est ad carnem in meatu enascentem. In »  
 his dixit utendū esse fotu, qui per ollam adhiberi indicatus est, quem ipse nimirū »  
 antea inter auditus præsidia scripserat: ego autem ipsum omisi, quod scirem collu- »  
 tionem quidem aliquam dolentibus moliri, utilitatem uero nullam adferre: idcir- »  
 co nunc ipsum appono: nam surda stros uerilimile est eo non nihil iuuari, qui au- »  
 xilia contraria ijs qui dolent requirunt. Etenim partes affectæ in doloribus ex- »  
 acta quiete indigent: surdi autem, motu uehementi, & ut quis dixerit, transmuta- »  
 10 tione in contrariam dispositionem.

*Fotus ad aurium dolores ab Apollonio scripti sic habent.*

Fotibus utendum est qui per spongas fiunt, aqua calida imbutas, easq; abun- »  
 de expressas: item ijs qui per cucurbitam adhibentur, præterea illis qui uapore per »  
 calamos perforatos accommodantur. Oportet autem alterum calami extremum »  
 auriculi concauitati adaptari, alterum ollæ, quæ operculum perforatum habeat, »  
 & unde quaq; constricta sit, insidere. Sit autem in olla absinthium aqua decoctum, »  
 ut humor qui ascendit auditorio meatui obueniat. Similiter etiam foueri conuenit »  
 adipe in ueru tosta. Iam uehementer etiam conuenit subscriptus fomenti modus, »  
 20 Urina potissimum tauri: sin minus, bouis quam uetustissima, ollæ recenti angu- »  
 stiq; oris infusa, & aceti tertia parte urinæ mixta, myrtoq; contusa, testas grandes »  
 ignitas in ollam coniicere, deinde inclinato homine ollam auri apponere, atque »  
 sic foueri oportet: circa aurem uero circulum ex lana facere, ne loci ambientes adu- »  
 rantur. Utendum & farina ordeacea triticeaq; cum uino cocta, & irino unguen- »  
 to calido, fotus gratia. Supra aurem uero lanæ molles, & puræ uino oleoq; reddi- »  
 tæ, imponi debent: item farina ordeacea aut triticea interim ipsa per se cocta cum »  
 uino & irino unguine, interim mixta stercori columbæ & aristolochiæ tenuis pa- »  
 ri portione. Conducit etiam cibi inedia, uictus tenuis, uentris inanitio insignis, præ- »  
 terea recreatio uirium, quies, capitis tegmina: potus, aqua calida, mulsa, ptisanæ suc- »  
 cus cum melle, usq; dum dolores remittant. »

*Archigenis remedia ad grauem auditum & surditatem ad uerbum.*

In graui auditu corticis raphani succum cum rosaceo, aut cyprino tepesfactum »  
 instillato, aut galbanum cum aceto et melle incoctum. In surditate autem oborta, »  
 ueratri nigri instar erui in melle cocto applicato, finitoq; donec id quod impedit, »  
 \* exedat: aut absinthij decocto elutis auribus mel & oleum instillato: aut collyrio »  
 ex nitro, ficu, & sinapi demisso, & non eximemus triduo, deinde acutis uocibus »  
 cōtinuis in clamabimus, rursumq; grauibus. Vbi rursus ipsis in clamauerimus, po- »  
 stea deponimus: hinc infundimus utiliter asphodeli radices oleo ueteri decoctas, »  
 caprillaq; urina continue eluimus. Porro ad surditates à capitis doloribus contra- »  
 ctas, raphani succum cum rosaceo infundimus, aut cucumeris syluestris foliorum »  
 40 succum, aut castoreum cum baccis lauri & aceto. »

*De corporibus, quæ auribus incidunt.*

Si aqua in aurem inciderit, auxiliatur quidem acetum, & in uno pede, qua- »  
 patiens auris est, subsilire, inclinando se ipsum: nam sua sponte facile excernitur: »  
 aut etiam per strigilem, deinde lana inuoluta prædictorum aliquod unguentum »  
 instillato. At ubi calculus meatui inciderit, aut faba, aut quoddam persimile, elui- »  
 to: aut specillo lana inuoluto & resinæ intincto, retrahito: aut medicamine quo- »  
 dam glutinoso. Quod si non cesserit, medicamine, quod sternutamentum ci- »  
 tat, naribus indito, os & narium meatus obstruito. Nam oborta spiritus inten- »  
 tione, id quod incidit effilatur: facito autem continue, usque dum exciderit: nam »  
 si intus maneat, in aure inflammata conuulsiones adfert. Optime confert elicien-

\* Græcum hæc  
bet, δὲ φάρμακον  
γυ, quod est, in  
tersecet.

dis ijs, quæ inciderunt, & conquassatio: si quidem puer fuerit, pede prehensus, & in caput sublatum cum conquassatu: si adultus fuerit æger, reclinato ipso super tabulam, in aurem dolentem iube caput inniti, deinde leuans partem tabulæ, quæ ad caput spectat, linito ferri deorsum: atque hoc sæpe facito: mouebitur enim quod illapsum est, & propelletur circa partes meatus promptiores: post hæc in uersa specilli parte arcuata exiguaq; dextrè attrahito. Quod si faba illapsa sit, aut aliud quiddam simile, permaneatq; & madore naturali turgidum inflatumq; cruciatus inferat, certè integrum ipsum eximere non possis: conuenit autem mucrone specilli dextrè ipsum partiri, atque sic paulatim efferre: deinde sapam, aut uinū dulce calidum infundere, & meatum propter conturbationem obortam lenire. Si uero animal quoddam inciderit, scammoniam aceto solutam, aut absinthij succū, aut peucedani amplius, & nitrum, & sulphur cum succo raphani instillato.

*Apollonij de iisdem.*

- » Apollonius de iisdem hoc pacto scripsit. Ad pulices & uermes aurium ac reli-  
 » qua, quæ in meatum auditorium immerguntur. Acetum oleumq; instillato, aut  
 » capparum succum, aut amygdala amara trita, et oleum ipsarum expressum infun-  
 » dito. *Aliud.* Veratrum album læue inspergito; aut aristolochiam læuem, aut cala-  
 » minthæ succum infundito; aut cinnabarim uiridem instillato: aut ueratrum albū  
 » cū uino infundito: aut aluminis & cucurbitæ syluestris seminis uel medullæ æqua  
 » lem portionem tritam, cum cedrino oleo instillato: aut capæ tritæ, & hyssopipa-  
 » rem modum urina ueteri subacta, infundito. In uniuersum eximi debent, quæ in  
 » meatum incidunt, hoc pacto. Auriculario specillo, aut uulsella, aut lana molli cir-  
 » ca specillum inuoluta, & resina oblita, aut hamulum habenti tenuem, nitrum to-  
 » stum læuigatū auri inspergito, & acetum superstilla, lanaq; apposita per noctē  
 » linito: postero die aqua oleoque calido eluito. At si aqua in aurem se receperit,  
 » capæ succum, adipemq; anserinum tepida instillato; aut mali punici granis exem-  
 » ptis dulcis, & acidi succo in æreo uase cocto usque dum partes duæ relicte sint, uti-  
 » tor, circiter duas guttas immittens; aut myrrham aceto tritam & melle inserito.

*Quæ Crito auricularia medicamenta tradiderit, ad uerbum ita sonant.*

*Contra sonitus ex morbis contractos.*

- » Absinthio in aqua cocto foueto, & rosaceum cum aceto instillato; aut raphani  
 » corticis succum cum rosaceo: aut aloë cum uino & melle: aut thus cum aceto &  
 » rosaceo, in mali punici cortice coctū, ut mellis accipiat spissitudinē: aut alterci suc-  
 » cum cum rosaceo tepido; aut arundinis uiridis radicū succū cum lacte: aut rhamni  
 » succū cum nardo gallica; aut gallam nigram cum myrrha æquali & melle; aut ly-  
 » cium cum mulso instilla, aut uulpinum adipem.

*Ad aurium dolores & puris fluxum citra humiditatem.*

- » Vini ueteris sesquuncia, mellis Corsici uncia, nitri rubri sesquuncia, lycij indid-  
 » uncia: læuigato lyciū cum uino & nitro ac mel admisceto, uitreoq; uase reponito,  
 » et auri infundito; hyeme quidem bis die, æstate sæpius; ac floccum byssi imponito.

*Ad aures purulentas.*

- » Alumini scisso læui acetum adfundito tritum, ut sordibus liquidiorē habeat  
 » spissitudinē: excipito hapsō lanæ, siccataq; lanā in aurem imponito: aut ipsum  
 » medicamentum liquidum lana specillo circunuoleta in aurem demittens, quoti-  
 » die ipsam illinito; adijcito autem & passi momentum, ne siccescat.

*Archigenis ad exteriores aurium meatus affectos.*

- » Archigenes ad exteriores aurium meatus affectos ista scripsit. In auribus contur-  
 » sis, myrrham, thus, terram nigram, qua nonnulli abstergunt, cum aceto acri bene  
 » unita, in cerati spissitudinē applicato, & nullo modo aurē irritato. Aut cerussam,  
 » & apij semen æquali pondere illinito: quidā absinthiū scribunt. Aut sulphur uiuū,  
 myrrham



myrrham, thus, cum pice liquida splenium imposito. Aut fabrile glutinum & bitumen similiter, nonnulli & mannam miscent. Aut Asclepiadico utitor medicamento cephalico. Aut pastillis ad pudenda inscriptis oblinito. In quibus aut aures contusae sunt, repleta intus concavitate cartilaginis prominentiore, terra figulina: sequenti die cum siccata fuerit, solanum cum absinthio oblinito, usque dum subsederit. In uulneribus circa aures & diuisionibus, fibula diligenter iniecta, deinde medicamentis quae inflammationem arcent, & reliqua glutinatoria ratione utitor. Foramina autem fibrarum, quae inflammationem patiuntur, in pueris oleo in aerea lucerna incenso oblinens, ad sanitatem perduces. Asclepiades autem sic ad aures contusas usus est. Aloes partem unam, glutini fabrilis cum aceto cocti partem unam, mixta imposito. nonnulli etiam mannam adijciunt.

*Epithemata ad aures contusas.*

Acetabuli herbae drachmae octo, amygdalarum amararum purgatarum drachmae duae, tragacanthi drachmae duae: aceto soluta excipiuntur uisco quercino, deinde emplastri modo imposito. Aut cerae drachmae octo, galbani drachmae octo, corios drachmae octo, uisci quercini drachmae sedecim, thuris drachmae octo, myseos tosti totidem: componito & utitor. Apollonius autem sic aurium inflammationes per summa oborientes ex humorum impetu, aut ictu, item tumores laxos & rubedines curabat. Butyrum recens percolatum instillato: aut adipem anserinum & lac muliebre mixtum instillato: aut glandis expressionem resinamque liquidam, tepidam instillato: aut adipem bouillum, anserinumque aequali pondere leuigata instillato. Aliud quod illi possit. Meconium aqua solutum pinna oblinito: aut crocum tritum solutumque illinito: aut spumam argenti tritam ex aqua & nardino tenui illinito: aut cerussam corios succo, aut polygoni, aut solani dissolutam inungito. Cataplasma. Absinthium tritum ex aqua uice cataplasmatibus impone: aut sesamum tritum ex aqua: aut lentem ex aqua tritam cum melle: aut mali punici dulcis coria in uino cocta tritaque applicato: bonum est admodum medicamentum. Myrrham & adipem anserinum, aut butyrum, aut resinam, & conche interiora pari pondere, trita auri imposito, & eiusdem partis temporibus. Inedia autem ciborum conuenit, & uentris euacuatio, praeterea quies, tegmentum capitis corporisque: aliena sunt aestus, frigus, balneum, uomitus, clamor, & omnis distensio.

*Ad exulcerata ex ictu, & aures contractas.*

Panis calidi micam tritam cum melle imposito. Myrrham cum uino contritam ueteri illinito: cochlearum colla cum testis trita, & myrrhae parte dimidia mixta, imposito. Absinthij & apij seminis parem portionem laeuigata cum melle imposito. Sulphur pici circumlitum laeue, aut mannam inspergito. Haec autem non illic ligato, neque frequenter epithemata deponito.

*De parotidibus.*

Parotides inflammationum genere comprehenduntur: sunt autem glandulis iuxta aures sitis, affectis: non tamen utimur in ipsis prima curationis corporum quae inflammantur parte: quippe in illis ut plurimum curatione a medicis dicta repulsoria ac reprimente uti conuenit, praecipue cum id quod influit, neque malignum est, neque copiosum, neque corpus plethoricum: ita enim et spongia sola ex posca imposita incipientes reprimit inflammationes, ita ut totum corpus nihil afficiat. In parotidibus autem huic contrarium molimur, medicaminibus utentes attractorijs: & si nihil notatu dignum haec profecerint, cucurbitulam quoque accommodantes, aut fofus crebros. Nam humorem noxium in cutem elicere conamur, praecipue cum affectus capiti fuerit infixus, humoribus in eo pertinaciter haerentibus. Quinetiam cum citra capitis affectum in febris acutis natura superfluos humores deponit, ex uasis in regione, quae intra cutem & corpora subiecta habetur effundens,

quando & glandule humoribus qui excidunt opplentur, satius esse tunc quoque uidetur nature opitulari, febribus per abscessum medenti. Cum uero influxus uehementi fertur impetu, nihil nos tentabimus, totum nature permittentes. Si enim uel cucurbitulam, uel medicamentum aliquod humores ex alto in cutem eliciens, accommodemus, dolor uehemens hominem inuadit, ut hinc uigilie torqueant, & febres succedant, & uires cōuellantur. Proinde tunc mitigare, non promouere humorum impetum oportet, cataplasmatibus utentes lenissimis, cuiusmodi est quod ex frumētacea, aut ordeacea, aut lini seminis farina cum mulsa, aut fœnugræci, aut althææ, aut chamameli decocto paratur: item quæ præter humidæ caliditatis moderationem, deinceps dolori mitigando sunt, iam etiam cōcoquere humores influentes possunt, & ad suppurationem perducere, ut in doctrina de cataplasmatibus ostendebamus. Quod si sanguis redū dare tibi appareat, prius ipsum uenæ sectione uacuabis, potissimum si uires permittāt. Nunc autem ad medicamentorum compositionem, quæ initio nobis proposita est, digressi, dicemus qua ratione ea componi, & usui esse debeant. Si tumor quidē non discutitur, medicamentis utere quæ puri mouendo sunt, nempe farina frumentacea, cum fici decocto, oleoq;: item medicamento quod ex polline, & quod ex fermento confectum est. Vbi uero parotides ad suppurationem spectarint, uel cute ferro discissa pus excernetur, ulceriq; ut in eiusmodi omnibus in confesso est, mederi oportet; uel acri medicamentorum petur, cuiusmodi est smilium, & quod diascorodon inscribitur: aut tentandum discutere ipsum medicamentis, quæ attractoriam simul & extenuantem uim obtinent, auferentes ea bis quotidie, fouentesq; donec aliquid remittāt, laxenturq; dolores, maiori parte puris discissa: tunc enim iam primum quidem semel soluere et fouere, deinde ne hoc quidem facere conducit, sed medicamentis, si quæ reliquæ in alto contineantur, discutiendas permittere, & si durities fuerit, ipsam quoq; emollire. Quare per hoc tempus medicamēta mixta facultate cōponentur, ita ut emollientia attractorijs immisceantur. Vbi uero totum quidem pus fuerit euacuatum, durities autem quædam reliqua fuerit, medicamētis quæ emolliunt utendum est, quorum uariam & materiam & compositionem in sermone de malagmatis, exposui. Porro constat omnibus mediocres parotidas, in quibus neq; copia est, quæ in particulas incūbit tanta, ut dolores ualidos excitet, neq; caliditas humori adest, facile hæc posse curare. Neq; enim ad suppurationem festinant, neq; dolorem inducunt ualidum: sed licet tunc etiam fomentis uti ex muria, & cataplasmata inducere, quæ magis calefaciant digerantq; & medicamenta eadem facultate prædita. At cum pleriq; medici etiam parotidum remedia indistincte cōscripserint, si quis modò comprehensorum memor ad usum ipsorum perueniat, sciet quibus in quibus parotidibus utendum sit. Verum & ego uos prius exercitabo exemplis, quæ Archigenes in primo de medicamentis secundum genera his uerbis prodidit.

*Archigenis ad parotidas.*

- » Cum parotidas dissoluere cogitamus, oblinimus frequēter plantagine læuicū  
 » sale. Aut caprillo stercore cum aceto. Aut lapathi syluestris radicibus in uino co-  
 » ctis. Aut cucumere læui cum chalcantio. Aut cucumere cocto, cum absinthio &  
 » uino læuigatis. Aut buccina cremata marina. Aut purpuras exceptas melle aut  
 » axungia imposito, & statim discutientur. Idem facit etiam & ostrei testa combu-  
 » sta cum melle imposita. Aut ceratum rosaceum cyprinum uel rutaceo exceptum,  
 » aut sulphure uiuo simul emollitum. Aut cimolia cum aceto. Discutit autem ma-  
 » xime ficus in marina coctus aut muria, si læuis imponatur. Idem præstat etiā mar-  
 » rubium læue cum sale. Et lana butyro intincta, impositaq; parotidibus incipien-  
 » tibus opitulatur. Quemadmodum huic postremo pulchre adiecit Archigenes dis-  
 » tinctionem, incipientes, inquiens, parotidas butyro adiuuari: ita ipsum oportebat  
 de alijs

de alijs quoq; tempus adiecisse, sicut ego paulò ante factitavi. In hoc autem ipso butyro, non sufficit distinctio à solo petita principio, nisi appositum fuerit, utrum uehementer, aut molliter erumpat: & num dolorifice, ut cum pullibus & uigilijs infestet, an cum moderato dolore: item quæ morbi sit constitutio, num grandem abscessum omnino requirat, an per minorem possit excerni: tali enim sufficit butyrū, & præsertim in mollibus corporibus, eunuchis, pueris, mulieribus, & molli carne præditis. Si cum uehementi dolore oriatur, cataplasmate quod mitigat dolorem, cum fotu continuo indiget: qui aut ex aqua sola fit, aut momēto salis indito. Quoniam uero primum omnium scripsit medicamētum plantaginem cum sale, ab illa quoq; nos rursus auspicabimur, plantaginē naturam in memoriam reuocantes, quæ mixtis constat facultatibus, digerente & repellente. Ego uero nunquā uelim repellētia medicamētis quæ parotidas iuuāt misceri, nisi quandoq; raro exiguum, multo digerenti: idēq; nimirū cum parotis citra magnū dolorem erumpat. Post hoc scriptum est, stercus caprillum cum aceto, quod inueteratæ parotidis, & in scirrhum indurescentis, & nondum dolorem notandum experiuntis, medicamentum fuerit: sicut & lienis in scirrhum indurati. Tertium deinde tradidit, radices syluestris lapathi cum uino coctas: si & qualitātē & tempus uini apposuisse, fortē aggressus essem & ipsum probare: quia uero non adiecit, et multum interest, acerbum an austerum, acre an dulce, recens an uetus, crassum an tenue, rubens an album nigrum uē sit uinum, idcirco ego quoq; de medicamento scripto nihil possum dicere. Vos autem cum sciatis uetus magis digerere, præsertim si naturæ sit calidioris, cuiusmodi sunt rubra plurimum: contraria autem his uirtute austerum & acerbū: eiusmodi uinum cauere oportet. In rubro autem & mediocriter ueteri tenuiq; coctis lapathi radicibus, in parotidibus quæ citra uehementem dolorem obueniunt, uti poteritis. Post hæc scribit, ficum lauem cum chalcantho. Itaq; ficus digerentis extenuantisq; uirtutis est, potissimum si sicus fuerit: recens autem, uim habet digerendi, non tamē potest concoquere. Chalcanthum uero medicamentū esse uehementissimum, ualidis utrisq; præditum uiribus, nemo ignorat: quare etiā uehementia ipsius uitanda est. Cocto autē ficu, nimirū sicco cum absinthio & uino laeuigatis, uti præcipit: ac uos quoq; opportunè eo utemini in inflammationibus, & magnitudine & tempore medijs: sicut & crematis buccinis, purpuris et ostreis, in ijs quæ iam scirri naturam induunt, & in uetustatem incidunt: est enim medicamentū, tum doloris, tum rosionis expers: non modo si melle quis cinerem ipsorum immergat, sed etiam multo magis, si ueterem adipem suillam \* curatam mi-

\* Vetus adiecit  
insulsam.

40 sciat, leuissime enim hoc digerit omnes inflammationes inueteratas, etiam si ex rheumatica sint dispositione. Deinde cerato rosaceo cyprinoq; cum rutaceo uti iubet, medicamēto quidem digerente, sed quod nihil uehemens, neq; uiolentum habeat: paulò autem eo uehementius redditur cōpositum medicamen, si sulphur uiuum in uicem rutæ misceamus. Quæ sequitur, cimolia cum aceto, neq; ualide, neq; dolorifica, neq; magnæ parotidis est remedium. At ficus in marina coctus, ijs quæ iam in scirrhum occalescunt utilis est, digerendi facultate præditus: pariter etiam, si marinæ penuria, muria quis utatur. perlimile autem huic, sicut & Archigenes dixit, marrubium est cum sale. Post hæc protulit, cuius paulò ante postremū in oratione sic meministi, butyri: ac post id rursus ad generosum medicamentum digressus est, pyrethrum leue ficu excipi præcipiens: deinde calce uiua leui cum melle uti iubet: ab hoc mustelæ sanguinis illiti meministi. Verū cum huiusmodi putem esse superuacanea, & quæ inopem ostendant medicinam, si alijs præsidijs citra mustelæ sanguinē parotidas nequit curare: neq; usus sum ipsis, neq; experientiam ipsorum habui, imò neq; alius quidem amicorum aggressus est uti. Cerebro autem illinere, qualecunq; mediocriū parotidum est remedium. Ab hoc ita scribit ad uer-

» **hum** : Aceto feruido superfunde, aut spongiã muria acetosa madentẽ imponito. Verum hoc erit fossorum messorumq; non ciuiliu corporũ præsidium. Secundum hoc acris meminit medicamento, quod ex cremata mustela fit, cuius cinerem cerato irino excipi iussit. In illo autem tempore, scilicet cum in uetustatẽ incidunt, & scirrho indurantur, huiusmodi medicamẽtis utendum est : nam plurima ab eo conscripta remedia sunt parotidum, quæ contumaciter inueterascunt: i deoq; adiecit medicamento huic, quod possit strumæ probè mederi. Interiecta est citra ordinem deinde talis quædam dictio: Et continua calidã irroratio, cõtinuumq; farinẽ ordeaceã epithema. quod siue per se quis legat, siue etiam finẽ prioris curationis, initium huius dictionis faciat, utrobiqu; bene dictũ est. Constabit aut nobis, si prioris orationis finem proponamus, ut tota oratio fiat eiusmodi. Mirifice discutit & strumas subinde & parotidas, farina ordeacea cõtinue imposita. Sin autem de parotidibus solũ dicatur, distinctio deerit orationi, docens nos in quibus & qualibus parotidibus aquæ calidẽ irroratio, & cõtinua farinæ ordeaceæ impositio cõuenit, non enim in qualibet, sed quam uolumus ad suppurationem citissime perducere, quemadmodum in superiori sermone percensui. Hoc igitur, ut dixi, præuẽ appositum est. Cæterũ ad cõtinua medicamenta digressus Archigenes, iterũ scripsit, non adijciens indurescentiũ, et ueterum parotidum esse auxilia. Cum autem ea nos ex materie cognoscamus, apponã uobis ipsiusmet Archigenis sententiã, quæ hoc pacto habet. Proprie aut lupinis amaris in tenuissimũ pollinem tritis coctisq; cum melle exiguã calcem uiuã admisceto & applicato: discutit enim hoc summẽ. Picis brusilæ, mannae thuris, æquales partes, terebinthinæ, palmularũ syriacarũ, non ueterum, pinguiũ, carnis puræ, singulorũ duplicata portio, galbani ceu dimidia mannae: unitis probè, utitor. Quod si dura resina fuerit, emollito: aut nitri et minij synopidis tertiam partem, cum cyprino in sordium spissitudinem conformato, imponitoq;. Aut calcem uiuam cum luto similiter. Aut ficus sicca, galbani, nitri, paria pondera, sulphuris tertia pars, terebinthinæ, opopanacis, singulorũ exiguum: unitis utitor. Aut calcem uiuam ex aceto læuigato, imponitoq;. Quod si ne his quidẽ discutiãtur, adiuuare oportet ut in pus mutantur, superfusione multa decoctionis lauri, aut ipsius baccarum: aut sulphur aliudq; id genus in aquam inspergendo, applicandoq; frequenter farinam ordeaceam calidam, aut etiam nitrum, uel columbae stercus ei miscendo: uel cucurbitula quoq; cum scarificatu agglutinanda est, postea ad manum ueniundum est, & humeralis uena secanda: præstantissimũ enim in his est, citissimẽ defluxũ in exteriora elicere. Hæc quidem Archigenes tradidit. Sunt autem etiam emplastica multa, quæ parotidas discutiunt, alia sanẽ scirrhi modo iam indurescentes, & inueteratas, alia liberatas quidem dolore, sed nullam puris suspicionem habentes, sicut & quæ iam suppurescentes perfanant. Cæterum scripta sunt inter emplastra digerentia eiusmodi cum proprio titulo: ueluti et quæ simplices parotidas curant, laxantia dicta, omnibus sunt cognita. Exempli gratia, emplastrum Mnasi; item diachylon, hoc est, ex succis: & diaptifanes, quod est ex ptisana præparatum: atq; his adhuc molliora, quæ cerati figuram referunt: ad hæc quæ ex butyro & hysso constant, quæ recipiunt ostreorum crematorũ, aut buccinorum, aut purpurarum, & adipis suilla, singulorum uncias tres, butyri unciam unam, ceræ uncias duas semis, ostreorũ combustorum læuissimorum uncias duas: liquefactis quæ liquari possunt, ostrea inspergito, ac unitis utitor, confidens ceu efficacissimo remedio ad parotidas.

*De narium affectibus.*

Ex genere tumorũ præter naturã polypĩ generantur, exulcerationibus ozana ascribitur, excretionibus naturæ cõtrarijs, profluuiis sanguinis, quæ acuto morbo conflictatibus oboriũtur in summis excretionibus, quas iuniores medici proprie

*ὁ πρὸς κελύκος*

ἰσχυροῦς appellant: in quibus natura ad decretorium irruens auxilium, medio  
 critatem non tenuit. Primum igitur ab ozæna sermonem instituã, quæ ex acrium  
 putridorumq; humorū illuuiē contrahitur. Quod si acres tantum existant, ulcera  
 curatu difficilia solent procreare, non tamen grauius olentia. Curatio sanè utrius-  
 que huius uitij & polypi est, caput primum resiccare, eiq; robur adijcere. Constat  
 enim hæc ex eo propter humorum malignorum redundantiam, naribus influere.  
 Quomodo autem caput totum corroborandum ueniat, ne quicquam ex ipso sur-  
 perfluum infernis partibus influat, subinde comprehensum est. Quum igitur illis  
 caput ualidum robustumq; reddideris, naribus medendis accingere: in ozæna eo  
 10 consilium tuum dirigens, ut particulam affectam medicamentis mixta facultate  
 præditis, repulsoria & digerente, resicces. Repellunt igitur austera nimirum &  
 acerba, quæ communem adstringentibus appellationem fortiuntur. Discutiunt  
 autem calida & sicca facultatibus, quorum talis est materia.

*Medicamenta Archigenis ad ozænas.*

Quum ozæna naribus insidet, calaminthæ succum instillato, aut ipsam cala-  
 mintham aridam per siphonem inspirato. Aut ueratrum album cum seminis na-  
 sturtij chema quotidie inspirato: postea caput superfundito. Ceterum nares ipsas  
 oblinito aut chalcitide, aut chalcantho, aut sorico cum melle: aut mel naribus in-  
 stillato, eisq; medicamento quod sternutamētum citat, concussis, ramenta excute:  
 20 deinde præscripti ex nasturtio & ueratro medicamēti quamplurimū attrahere fa-  
 cito: inde amurca cum melle illinito. Aut ranūculi succū cum alumine liquido na-  
 ribus resupinatis instillato, iubetoq; attrahere, usq; dum in os peruenerit: idq; faci-  
 to, donec persanaueris. Sin aut uetusta fuerint, etiam acetum uetus admisceto, aut  
 sulphur læuigatū, aut acetum acre in uas angustij oris inditum, respirandum ipsis  
 quod satis est, admoueto: postea misy cum ciprini & nardi indicij dimidio, & uino  
 Chio, læuigata usq; ad mellis spissitudinē, pinna meatus oblinito, et lana obturato,

*Ad ulcera in naribus.*

Ulcera in naribus mali punici succo in æreo uase, usq; ad dimidias cocto obli-  
 nuntur. Aut malum punicū dulce totum uino incoctum læuigato, obducitoq; ex-  
 trinsecus. Aut leucæo, cum aqua attingito: aut rubi succo & alumine solutis aqua:  
 30 si uetus, aceto: aut iride & sandaracha cum melle, aut seuo uitulino & resina.

*De narium polypo.*

Polypus tumor est præter naturam naribus innascens, polypodis caruncule se-  
 cundum substantiæ proprietatē similis. Palam igitur est, crassorum uiscosorumq;  
 humorum sobolem existere, ideoq; mixtā materiam requirere, ut pars ipsius pos-  
 sit adstringere, pars secare & attenuare, pars digerere & incrassare.

*Archigenis ad polypum.*

In polypo nasturtij tenuis chemam, uel drachmam semis cum ueratri albi obo  
 lis duobus detrita, naribus attrahere iubeto: si exciderit, linamentis cum anthera  
 40 ex melle utitor, aut lycio similiter.

*Asclepiadis ad polypos & ozænas.*

Asclepiades in quinto exteriorū in hunc modum scripsit. Siccum ad ozænas. »  
 Aluminis scissi, myrrhæ, sandarachæ, gallæ, singulorum drachmæ quatuor, chal-  
 canthi cremati drach. una: læuibus utitor, prius nares uino odoro eluens, atq; tunc  
 specillo scalpri attingens. Erycæ feminis, myrrhæ, nitri rubri, malicorij, singulorū  
 drachmæ octo, myrti feminis drachma una, crocomagmatis drach. duæ: læuigatis  
 utitor. Sereos ægyptij fragilis drachmæ duæ, chalcitidis tostæ tantundē, myricæ se-  
 minis, croci, myrrhæ, singulorū drach. una: læuigatis utitor. Xanthizoufa dicta. »  
 Aluminis scissi drachmæ octo, chalcitidis crudæ drach. sex, sandarachæ drachmæ  
 tres, malicorij drachmæ duæ, chalcanthi combusti drachmæ duæ, misyos totidem: »

» lauibus utitor. Chalcanthi usti drachmæ quatuor, diphrygis, calcis uiuæ, sandara  
 » chæ, singulorum drachmæ duæ: siccis attingito, aut tortili lino madefacto prius  
 » aqua, & inquinans medicamento. Mifeos tosti, mannae thuris, chalcitidis tostæ,  
 » singulorum drachmæ duæ, squamæ æris sesquidrachma, æruginis drachma una;  
 » siccis attingito.

*Lanponis ad ozænas, ægilopas, polypodas, aliq; multa.*

» Ad ozænas, ægilopas, polypodas, & quæ citra sectionem ustionemq; amoliri  
 » cupis: separat & ossa corrupta, ualetq; ad nomas & putredines, si inspergatur, &  
 » ad ulcera fordida in linamêto cū melle. Aeris rubri scobis unc. una, salis ammonia  
 » ci unciæ duæ, guttæ ammoniacæ tantundē, aluminis rotundi unciæ tres, aceti acerri  
 » mi hemine sex: arida læuigata acetoq; adiecto, excipiunt uase æris rubri, moueniq;  
 » in sole, lamina eiusdem æris, sub æstu caniculæ, donec medicamen siccescat: deinde  
 » trāsufum in pilā, tritumq; diligēter, uase fictili excipiit: cum usus postulat, aqua da  
 » tur resorbenda, deinde in ore cōtinenda: medicamentū uero per fistulā inspiratur.

*Scribonij Largi ad omnem carnis excrescentiam.*

» Mifeos usti, chalcitidis ustæ, æris floris usti, sorios, æris squamæ, singulorū dra-  
 » chmæ octo: sicco nares attingito. Conuenit autem pridie ipsas infricare, insequēti  
 » die medicamentum à cibo imponere: prius autem oportet sublinere nares pice li-  
 » quida, aut myrrha stillatitia.

*Philoxeni chirurgi ad polypodas, ozænas, omnem carnis excrescentiam, sanguinis  
 fluorem, & quodcunq; crusta uoles obducere.*

» Aeris cremati, arsenici fricti, mifeos tosti, singulorum drachmæ duæ, diphrygis  
 » drachmæ tres, chalcitidis ustæ, æris floris usti, squamæ æris, singulorum drachmæ  
 » quatuor: lauibus utitor. Post medicamenta uero imposita, utimur ijs quibus ster-  
 » nutamenta cient, ramenta disijcere cogitantes, quæ tribus quatuor ue diebus exci-  
 » dunt, ac postquam exciderint, curant adipe anserino & butyro cū cerato rosaceo.  
 » Asclepiades aut in priore exteriorū medicaminum hoc pacto scriptum reliquit.

*Asclepiadis ad ozænas, quo usus est Meges.*

» Erica seminis, myrrhae, nitri rubri, malicorij, singulorum drachmæ quatuor,  
 » croci drachmæ duæ, costi tantundem: leuia inspirato. Aluminis scissi drach. qua-  
 » tuor, myrrhae totidem, sandarachæ, rhus rubri, salis fossitij, croci tosti, singulorum  
 » drachmæ duæ: læuigata inspirantur. Ante curationem uero nares conamur uino  
 » odoro & melle probo eluere.

*Ad narium polypum, quo usus est Antipater.*

» Aeris usti drachmæ duæ, minij sinopici drachma una: leuia inspirato per pin-  
 » nam, imò etiam nucleo specilli attingito.

*Aliud Antonij Musæ.*

» Chalcanthi pars una, sandarachæ tantundem: leuia inspirato.

*Aliud Charixenis post manum adhibitam.*

» Cornu cerui combusti drachmæ quatuor, squamæ rubræ totidem, arsenici dra-  
 » chma una: leuia inspirantur. Bryoniæ radicis ustæ, floris æris, aphronitri, elaterij,  
 » singulorum drachmæ quatuor: leuia inspirantur.

*Ad narium ulcera.*

» Plumbi crementi, uini ueteris, olei myrtei, singulorum equales portiones: re-  
 » crementū plumbi terito ut leuissimum fiat, ac huic adiiciens uinum, læuigato: dein  
 » de myrteū, omniaq; simul mixta contusaq; et in uas fictile coniecta, prunis super-  
 » ponito, continuè agitans: ac ubi medicamentum sordium habuerit spissitudinem,  
 » in plumbea pyxide exceptū seruato. *Aliud.* Plumbi usti & piperis, singulorū dra-  
 » chmæ octo, uini rosacei quod satis est, olei myrtei quantū sufficit: preparato, ac uti  
 » tor quemadmodum superius cōprehensum est. *Aliud.* Argenti spumæ drach. sex,  
 cerussa

cerussæ drachmę octo, malicorij drachmę quatuor, aluminis scissi tantundē, uini »  
 aminę quod abunde est, olei myrtei quod sufficit: arida contusa cribrataq; & in pi »  
 lam coniecta læuigantur cum uino, ut sordium habeant spissitudinē: post hæc myr »  
 teum adijcito, ac rursus contulis exceptisq; plumbea pyxide, utitor ut prædictum »  
 est: sint autem myrtei heminæ quatuor, uini cyathi quatuor. »

*Diogenis medicamentum probatum.*

Adipis anserini drach. quatuor, hyssopi sesquidrachma, medullæ ceruinæ dra- »  
 chmę duæ, ceræ tyrrhenicę drachmę octo, plumbi cremati, & piperis, singulorum »  
 drachmę quatuor, stimmios usti & piperis drachmę octo, ladani drachmę duæ, »  
 10 adipis uitulini drachmę duæ, terebinthinę drachmę quatuor, cerussæ drach. duæ, »  
 argenti spumę drach. una, rosacei quod sufficit: liquida aridis superfundito, et exce- »  
 ptis utitor: cū usus exigit, accipiēs quantū satis est, rosaceoq; diluēs, nares sublinito. »

*Apollonij ad narium dispositiones, ex primo de paratu facilibus remedijs.*

Ad narium ulcera, putredines, & graueolentiā. Mali punici nucleis exemptis, »  
 dulcis & acidi succo, in aereo uase cocto, donec partes duę reliquę fuerint, utitor, pe- »  
 nitissime nares oblinēs. Bene facit etiam malum punicum dulce ex uino coctum, »  
 & extrinsecus applicatum, & intus illitum. »

*Ad sarcomata & polypodas.*

Diphrygi læui attingito, & linamento carpto nares distendito. *Aliud.* Vera- »  
 20 trum tritum & origanum leue misceto pari pondere, & naribus bis die inspirato. »  
*Aliud.* Veratro nigro & sandaracha pari portione tritis mixtisq; oleo, & lana ex- »  
 ceptis nares repleto. *Aliud.* Aeris florem, æruginē, & liquorē laferis ex æquo trita »  
 oleo misceto, & spissitudine unguinis facta, ad quinq; dies sublinito, deinde uulsel- »  
 la extrahito. Arsenico & calce trita specillo attinge, copioso utens medicamine: cū »  
 aut intumuerunt, & elatae nares existant, ueratro nigro, arido, leui mediocriter uti »  
 tor: nam diebus plurimū septem nares uacuantur: deinde læui diphrygi purgato, »  
 cum melle utens arsenico, calce, ueratro albo tritis, nares specillo attingito. »

*Ad ea quę naribus incidunt.*

Quę in nares incidunt, eximito auriculario specillo, aut forcipe; uel medicamen- »  
 30 tum adhibeto, quod sternutamenta ciet, & os comprehendito, alteramq; narem »  
 comprimito: nisi in utrisq; naribus affectus existat.

Hęc sanē Apollonij sunt, quibus ipse usus est: uerū ut ego usus sum, etiam in na- »  
 rium polypis, & ozanis, probatissima deprehendēs, quę inferius subscripta sunt. »  
 Primū quidem id quod ex malis punicis constat: sint autē paria & numero & ma- »  
 gnitudine, ex tribus sumpta differentijs. Nonnulla em̄ ipsorū austera sunt, alia dul- »  
 cia, quaedā acida. Hęc igitur cōtundere oportet recētia, maturaq; & integra exactē »  
 confringere, ut succus ab ipsis possit exprimi, quem uase stanneo repositū seruare »  
 cōuenit modicē decoctum, si quando liquidior, quàm par est, appareat. Quod autē »  
 ex ipsis solidum relinquitur & crassum, exactē rursus cōtundere, ut post contusio- »  
 40 nem iterum possint læuigari in pila, fingiq; collyrijs similia, quę naso eius qui cura- »  
 tur, cōmodē adhibeātur: dimittitur enim in nali meatū, in quo polypus delitescit, »  
 ut citra rosionem & consensum doloris, quod acria medicamēta efficiunt, longio- »  
 ris temporis spatio ipsum purgent. At si humidior molliorq; polypus tibi appa- »  
 reat, maiorem portionē ex austeris malis punicis injicias: si durior, ex acidis. Quo- »  
 niam uero molestū est perpetuō collyrīū sustinere, conuenit interquiescere, & uti, »  
 interea dum apponitur, succo expresso: necnon aperiendo locum affectum obli- »  
 nere, in illis partibus, qua nasus ad palatū perforatus est, liquido medicamento ex- »  
 presso, idq; aut pinnis, aut lana specillo circūdata, aut specilli nucleo. Ex aridis me- »  
 dicamentis noui quandoq; diphrygi, citra rosionē polypū longiori tempore con- »  
 sumptū. Iam præclare se gerit in ipsis & prædictū collyrīū, quod ex malis punicis

formatur, cum siccum euaserit, pulchre contusum, pertostum, laeuigatū, deinde inspiratū, uel etiam nucleo specilli impositū. Omnia autē hęc continuē faciēda sunt, ne unquā particulā affectū medicamentū desit: facile enim ab humiditate eluitur. Quemadmodū igitur in lippientibus, ita in his quoq; si fieri potest, perpetuō medicamentum imponere oportet. Nam facile, ut dixi, ab humoris influxu abluitur. At si quis eunuchus nullum medicamentū adferri sustineat, sed ab omnibus irrite tur, rosas siccas contusas, laeuigatasq; ad amussim, & impositas, citra morsum pariter & mirifice hominem iuuille noui: quapropter etiam iterum in mollibus et humidis, aut difficilibus corporibus eo usus sum: duorum enim alterum accidit, aut nihil nocuit, aut omnino citra molestiam operatum est. Quippe ex ijs quæ efficaciter purgant polypodas, plurima ipsos exacuunt, ubi id cuius gratia adhibentur, non fuerint affecuta. Ulcera quę meatus nasi infestāt, semper pastillis curauī, Andronij, Pasionis, Polyidæ, & Bithyni, & eo quem ego cōposui, interim uino dulci ipsos laeuigans, interim austero, nunc etate mediocri, nunc uetusto, aliās ex aceto aut uinoso, aut simpliciter acido, aut etiam acri admodum & uetusto, secundum cōmemoratas indicationes usu medicamentorum ab affectuum accidentibus inuento. In opulento autem aliquo, odoratum qui uellet esse medicamentum quod adhiberetur in ozanę curatione, uti hedychroo dictio cogitauī, mergens ipsum falerno ueteri: ac mirum est, quā cito affectus sanitatem perceperit. Expōsita autē est hedychroi confectio, in theriacæ antidoti scriptura.

*Heraclidis ad sanguinis eruptionem ex naribus, ad Antiochidem.*

Expōsitum à me est abunde de his quoq; in methodi medicatorij cōmentarijs: uerum nunc quæ ex probata materia maioribus nostris cognita sunt, persequar.

» Grumis ablatis, lana inuolutum specillum demittitur in lycium, quod aqua dilutum sit, & locus sanguinē fundens perlinitur. Aut linamentū longum lycio imbutum imposito, deinde nares digitis extrinsecus comprehensas cōprimito, donec sanguis listat. Aut chalcitidem laeuigatā mediocriter & linamēto funiculari aqua imbuto, uel eo quod à genitalis humani forma priapifcon appellant, exceptā, narium foraminibus demittes. Aut scissili linamento utitor, quampenitissime inferens. Satius autem est etiam in palatum digitum demittere, ne quando linamentū excidat. Aut thus cōminutum et polygoni succo perfusum. Aut porri seminis succo linamentū scissum imbutū illinito. Aut linamētum funiculare immittito. Aut mentham cōtritā inserito. Aut spongiā aridā imposito. Aut spongiā feruenti aceto acri demissā profluētibus naribus extrinsecus imposito, cōprimens specillo usq; dum propellatur. Pręstat autē spongię initiū deligare lino per acum, ut facile extrahi possit: eximito autē, cum facti tibi fidem fecerit. Quod si arida euaserit spongia, & glutinata intus, auriculario clystere, cui frigida aqua insit, dissoluito, ac illuens humecta, sicq; auferto. Iam utitor medicamētis quę ad uulnera, & ad sanguinē reprimendum inscribuntur: uincit etiam frontem spongijs refrigerare, & partes capiti subiectas sublimes habere, brachia, uolam, femora, inguina; & genua in gracilibus deligare, sicut in sanguinis missione, ut moueant iubere, manus quidem infricando, pedes eundo: nam uenis indidem sanguine repletis, nariū uasa eo destituentur: ac propinare, quæ ad sanguinis educationem inscribuntur, \* aures linteis ualide obturare, & cera: in ore aquā pluuiālē frigidā continere. Quod si aliquid sanguinis absorptū appareat, idq; copiosum, uacuatione tollito: nam in grumum coalescens, in uentre & in intestinis perforationem molitur.

*Asclepiadis medicamenta ad sanguinis eruptionē ex naribus, in quinto exteriorū, quæ Marcellas inscribit.*

» Platani pilulas colligens in umbra siccato: ubi siccaris, sparsa quadā tunica aspera, eiusdem extremitate cōterito: sin minus, in quadam ex pilis structa cōterito, ac semen galbulorum abiicito, festucas autem colligens uase fictili recenti reponito:

cum

\* Vetus habet, nares.



cum usus exigit, lanuginē platani impositam fistulæ arundineæ cui geniculi sint  
 adempti: insculpta autem sit, qua parte imponitur: auribus inspirato, statim san-  
 guinis fluorem aufert. Chalcanthum diligenter tritum reponito: in usu rasuram  
 aliquam lintecolorū intingens in medicamentū, imponito. Spongiam cruda pice  
 mersam comburito, atq; ex hac linamentum tortile excipiens, imponito. *Aliud,*  
 Qui putaminis partem unam, gallæ immature tantundem: læuia tortili linamen-  
 to aqua merso, aut aceto, excipiens imponito, frontem & nasum gypso aut luto si-  
 gulari oblinito: aures autem ualidè continere præcipito. Nonnulli spongiam afri-  
 canam in aceto acerrimo decoctam, deinde expressam, eiq; lapidem densum, igni  
 10 tum, circumdantes accenderunt, iubentes uaporem attrahere.

*Quæ Andromachus tradiderit.*

Ad sanguinis eruptionē in naribus nihil quidem peculiariter scripsit Andro-  
 machus. Quoniam uero ex ijs quæ sanguinem reprimunt, plurima hanc quoq; si-  
 stunt, idcirco etiam ego huiusmodi medicamenta ab eo prodita apponam. San-  
 guinem coercens remedium, quo utor. Chalcitidis, miseos, mannæ, singulorū dra-  
 chmæ quatuor: læuibus utitor. Chalcitidis drachmæ centum, chalcanthi drachmæ  
 quinquaginta, miseos tosti drachmæ uiginti quinque, æris cremati drachmæ duode-  
 cim semis: læuibus utitor.

*Sanguinem coercens medicamentum, Megale dictum.*

10 Miseos cyprii drachmæ septem, chalcanthi tantundem, piceæ corticis drachmæ  
 quatuor, squamæ æris drachmæ quatuor, manne thuris drachmæ quatuor (alij dra-  
 chmæ quindecim) æris usti drachmæ quindecim, chalcitidis drachmæ quindecim,  
 calcis uiuæ drachmæ octo (alij quadraginta) gypsi torrefacti drach. quatuor, (alij  
 drachmæ octo) læuibus utitor.

*Medicamentum sanguinem arcens, Aphrod.e.*

Chalcitidis drachmæ sex, manne thuris drachmæ duæ, resinæ terebinthinæ frictæ  
 drachmæ quatuor (alij tres) læuibus utitor.

## CLAVDII GALENI PERGAMENI DE

COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECUNDVM

locos liber quartus, Ioanne Guinterio An-  
 dernaco interprete.

*Disciplina affectuum oculis oborientium, inter quos etiam de medicamentis rosionis  
 experibus, & emplasticis, alijsq; uniuersis agitur.*



40 Aud alia sanè quædam oculi medicamentorū compositionis  
 methodus est, alia uero usus: ipsa nanq; cōpositio ueluti usus  
 respectu efficitur, dum id spectat qui medicamēta cōficiunt, ut  
 ex usu ipsorum auxilientur. Quemadmodū uero in alijs, ita in  
 his quoq; nōnulli citra distinctionē usus medicamentorū con-  
 scripserūt. Exēpli gratia [ad dolorē idoneū hoc est] nō adicien-  
 tes præterea in qua dispositione dolore oborto. Quidā etiā dis-  
 positiones exposuerūt, alij experiētie magis innitētes, alij rationi. Experiētia quidē  
 quidē magis acquieuerūt, qui signis euidenter in oculis apparētibus, distinctionē mo-  
 liti sunt: rationi uero, qui obscurè aut nequaquā apparētibus. Cōspicue quidē appa-  
 ret fluor copiosus & paucus, rosionis experts, & rodēs, rubor amplior, aut minor:  
 sicut & uenæ modici & multi plene sanguinis: itē inflātionis tumor minor, aut  
 maior: ueluti & uarietates colorū præter naturā: crassior pituita angulis erūpens,  
 copiosior aut paucior, aut minor, aut maior. Apparent aut nobis euidenter etiam